



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

Pars Tertia Actorvm Sacri Oecvmenici Concilii Florentini Post Discessvm  
Graecorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

ANNO  
CHRISTI  
1439.

cham haberent, vt constat ex eius epistolis, præsertim 18. lib. 1. re-  
gest. 13. & alia adducta in notis ibidem per Bosquetum Narbonen-  
sem editione Tolosana anni 1635. Viuebat autem tunc temporis Mi-  
chael patriarcha ritus Græci, vt obseruat Genebrardus in chronico  
anno 1215. Docet enim experientia, nullum esse medium efficacius  
ad affectum & deuotionem erga Romanam sedem atque ab ea de-  
pendentiam in illis partibus conseruandam, & schismata præcauen-  
da, quam Latinum ritum, præsertim in regnantibus, & eiusdem ri-  
tus præfules fouere & conseruare.

P A R S T E R T I A  
A C T O R V M S A C R I O E C V M E N I C I  
C O N C I L I I F L O R E N T I N I  
P O S T D I S C E S S V M G R Æ C O R V M.

**P**OST Græcorum discessum quæ Eugenius papa Christianis  
principibus, imperatori, regibus, communitatibus ac uni-  
uersitatibus rescripserit, hic subiicimus ex manuscripto codi-  
ce bibliothecæ Heidelbergæ Romam in Vaticanum aduectæ  
fol. 273.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei N. N. salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**G**LORIA in altissimis Deo, & in terra pax hominibus <sup>Num. I.</sup>  
bonæ voluntatis. Iuuat, carissime fili, in vocem exul-  
tationis erumpere, & gestiente animo cum angelis misce-  
re lætitiã: quandoquidem ineffabile gaudium, quod  
erit omni Christiano populo, nuntiamus. Quanto quippe  
mens nostra tanto diuinæ consolationis rore perfunditur,  
ita exhilaratur cor nostrum, vt quod sentimus explicare  
nequidquam valeamus, solaque in gratiarum actione &  
voce laudis requiescit affectus noster.

Ecce enim quod ardentissimo studio & indefessa pie-  
tate olim & longe, antequam ad pontificatus apicem assu-  
meremur, optauimus, orientalis & occidentalis ecclesie  
diuturnum perniciosumque dissidium post quadringen-  
tos quinquaginta annos diuina tandem miseratione subla-  
tum est: qua in re licet omnem pro viribus diligentiam  
adhibuerimus, quantum ille donare dignatus est, totum

*Concil. Tom. 33.*

V V V

tamen infinitæ illius bonitati attribuimus, sine cuius ope totum est inane quod geritur.

Namque ab ipsis nostri apostolatus initiis omni studio elaborauimus, vt vtriusque ecclesiæ vnio felicissime sequeretur: & post multas hinc inde missas legationes, aduenerunt ad nos anno præterito adducti, & hæcenus sustentati sumptibus nostris carissimus in Christo filius noster Ioannes Palæologus Romæorum imperator illustris, & bonæ memoriæ venerabilis frater noster Ioseph patriarcha Constantinopolitanus, & locatenentes Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani patriarcharum, legatique Trapezuntii imperatoris, Iberorum, Ruthenorum & Valachorum, cum metropolitibus & clericis ac nobilibus plurimis, & multitudine copiosa.

Auidi quippe huius sacratissimæ vnionis, laboribus plurimis marisque periculis sese exponere nequaquam cunctati sunt, sacro œcumenico Concilio, quod intra Italiam, & vbi nos commode interesse possimus, fieri magna cum instantia postularunt, adesse cupientes: aduenerunt autem ad disputandum, sine contentionis tamen vitio, aut pertinaciæ studio.

Nos itaque diuini humanique iuris professores omni ex parte congregare curauimus, qui cupientibus veritatem aperirent: Deoque largiente, postquam eis tam ex scripturis diuinis, quam ex sanctis patribus Latinis pariter & Græcis veritas per omnia est patefacta, libentissime consenserunt inuenta veritati, spiritumque sanctum ex Patre simul & Filio procedere professi sunt, summamque Romanæ ecclesiæ & sanctæ sedis apostolicæ auctoritatem, quam improbe nimium quidam opprimere nituntur, grate recognouerunt, atque in reliquis consenserunt, prout ex decreto inde confecto, quod his inclusum mittimus, tua celsitudo apertius discet.

Audemus sane in Domino gloriari, atque confidentissime dicere, id nostra ætate patratum esse, quo nihil maius, nihilque dignius ab ipso apostolicæ prædicationis tempore catholica vidit ecclesia. Neque vero hic erit finis diuinorum mirabilium, sed diuinæ miserationis latior campus aperitur, vt sol ille iustitiæ, qui in oriente iam ortus est, ad ipsas quoque infidelium tenebras radios suæ lucis

extendat, fiatque salus Domini vsque ad extremum terræ, omnesque vno ore & vno spiritu glorificent Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Expectantur enim in dies cum nostris nuntiis ad id missis, & iam fere præ foribus adesse nuntiantur Armeni, gens magna & celebris, parati se per omnia Romanæ ecclesiæ & sanctæ sedi apostolicæ subdere, eiusque mandatis & doctrinis incunctanter obedire. Merito itaque, carissime fili, cum in re iam tam multa, in spe etiam plura teneamus, omnipotenti Deo hostiam obtulimus iubilationis & laudis, tibi que ista insinuanda putamus, vt nostrorum in Domino gaudiorum particeps factus, diuinæ pietati nobiscum gratias referas: hortamurque vt Christianæ deuotionis affectu per tuum regnum litanias, processiones orationesque publicas fieri iubeas, partim referendo gratias pro acceptis a Deo muneribus, partim orando, vt complere dignetur omnipotens suum opus, & barbaras nationes in sua feritate gloriantes sub sanctissimæ Christianæ fidei iugum mittere.

Et quoniam spes adeo læta sese vndique aperit, pio moneamus affectu, vt ad eripiendos ab infidelibus, a quibus indignissime opprimuntur, illarum partium Christianos nobiscum animum intendas. Iam enim, Deo inspirante, classem terrestresque copias proximo vere parare intendimus, sperantes, quod qui cœpit in nobis opus bonum, ipse perficiat, ac per huiusmodi studia nostra a iugo miserabilis seruitutis catholicum gregem propitius ac benignus eripiat. Confidimus autem negotium facillime felicissimeque successurum, per tuam maxime reliquorumque Christianorum principum opem atque operam. Accingimini itaque, fili carissime, ardentique animo concurrere ad hæc studia pietatis, ex quibus & in hoc sæculo gloriam consequeris, & in futuro cum piis fidelibusque principibus, qui ab initio Deo placuerunt, conscribi mereberis. Nos enim te per alias nostras literas & nuntios requiremus, non ambigentes nihil te a tuis maiorumque tuorum pietate & nobilitate degeneraturum.

Datum Florentiæ Nonis Iulii, pontificatus nostri anno nono.

Num. II.

*Quæ vero hoc eodem tempore contra Basileense Conciliabulum in hoc sacro Florentino Concilio egerit Eugenius summus pontifex, sic narrat Augustinus Patricius canonicus Senensis in compendio Concilii Basileensis sessione 36. iussu (ut ipse ait) Francisci cardinalis Picolominei composito anno salutis 1480. quod manuscriptum extat in bibliotheca Vaticana.*

<sup>a</sup> Sub hoc scilicet specioso titulo, ut fell. 31. eiusdem Concilii.

<sup>b</sup> Relat. sup. in fine primæ partis.

Eugenius summus pontifex Basileensium in se gesta cognoscens, re cum patribus communicata, sessionem publicam Florentiæ celebrat, in qua<sup>a</sup> veritates fidei a Basileensibus declaratas reprobat atque damnat, easque afferit præter mentem Constantiensis Synodi esse interpretatos Basileenses: tum affirmat totius orbis dæmonia ad latrocinium Basileense confluisse, vt ad complendam iniquitatem, abominationem desolationis in Dei ecclesia ponant: decretum<sup>b</sup> contra illos Ferrariæ xv. Kalendas Martii editum innouat, declaratque, Concilio Florentino approbante, omnes cuiuscumque sint dignitatis, etiam si cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, aut cuiusvis ordinis inferioris, qui Basileæ post reuocatum Concilium remanserint, interfuerintque actionibus conciliaribus, excommunicatos esse & priuatos omni dignitate, honore ac beneficio, atque cum Core, Dathan & Abiron, vt schismaticos & rebelles, æterno iudicio esse perdendos.

Et eorum omnia acta, gesta, statuta & decreta, maxime in duabus vltimis sessionibus circa veritatum suarum approbationem & temerariam depositionem, cassat, reuocat & annullat, vt perniciosâ & a nullam habentibus potestatem temere condita; illosque omnes hæreticos censendos esse atque schismaticos, puniendos vltra statutas pœnas cum omnibus suis fautoribus & sectatoribus æterno iudicio, vt qui confusionem atque scissuram in ecclesia Dei & principatu ecclesiastici ordinis ponere conarentur.

Hæc vbi Basileæ nuntiata sunt, magna patres molestia affecere, videntes Eugenium, quem suis edictis perterritum putabant, tam acriter contra se insurgere: vnde adhibitis doctioribus viris apologiam contra (vt appellabant) inuectiuam componunt, conanturque multis argumentis affirmare, veritates a se professas veras esse. Sed cum a multis deinde peteretur, vt Eugenii decretum quod, Moy-

ses, incipiebat, vt libellus hæreticus publico consensu damnaretur, magnæ sunt habitæ contentiones. Ioannes Segobius vir acer & doctus multis argumentis affirmabat, rem esse maximi discriminis, si scriptura illa hæretica censeretur; maximam esse multitudinem eorum qui Eugenium vt pontificem colerent, neque assentirent eius depositioni; tum in congregatione illa Florentina adfuisse cardinales omnes, magnamque prælatorum multitudinem, cum fuit editum decretum. Omnes igitur damnari, atque hæreticos censerì oportere, si eius sessionis decreta hæretica censeantur; periculosumque esse nimis, si duæ futuræ obedientiæ, Eugenii scilicet & noui pontificis, hæresim sibi inuicem obiiciant. Tandem, quamuis Arelatenfi aliter videretur, res in aliud tempus dilata est.

*Hæc Patricius in sumuario sessionis 36. qui in sumuario sessionis 38. subdit Basileenses tandem in deterius prolapsos damnasse libellum Eugenii, qui incipit, Moyses, eiusque doctrinam.*

*Quod re vera præstitisse Basileenses apparet inter acta eiusdem Concilii sessione 38. ab eodem Patricio citata, in qua dum plurima Basileenses aduersus Christi vicarium effutiunt, constitutionis eiusdem summi pontificis, quæ incipit, Moyses, breue compendium memoriæ prodiderunt his verbis.*

Veritatis fortitudinem dum impugnare conatur Gabriel quondam dictus Eugenius papa IV. iusto iudicio a papatu depositus, seipsum magis deiicit & prosternit, qui nuper apud Florentiam libellum quemdam qui incipit, Moyses, promulgauit, in quo prætentam translationem huius sacri Concilii Ferrariam maiori semper cum pertinacia defendere & approbare conatur, adiiciens, quod a recta linea per anfractus erroris exorbitauimus, quodque Concilium Constantiense in malignum sensum & a sana doctrina penitus alienum pertraximus in hoc, quod declarauimus per sessionem nostram 17. Kalendas Iunii proxime præteriti celebratam, tres veritates, quarum tenor sequitur.

Veritas de potestate Concilii generalis, vniuersalem ecclesiam repræsentantis, super papam & quemlibet alium, declarata per Constantiense & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei catholicæ.

Veritas hæc, quod papa Concilium generale vniuersa-

lem ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum, super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus.

Conatur quoque ipse Gabriel post prædicta per eum sic asserta, sub obscuritatibus verborum mundum inuoluerere, dicens se damnare & reprobare veritates prædictas; ad sensum Basileensium. (*& infra*) Verum in hac reprobatione dictarum veritatum, quam idem Gabriel facit in præfato suo libello, intelligere possunt omnes fideles, quomodo iam id verificatur. (*& infra*) Et postquam per ecclesiam hæreticus iudicatus est, veros catholicos doctrinam ipsius ecclesiæ inuariabiliter tenentes, hæreticos appellare præsumit. *Et in responsione synodali qua incipit, Beatus Hieronymus, eadem replicant his verbis.*

Eneruare quidem conatur veritatem in Constantiensi Concilio declaratam, dicens eam declarationem ab vna tantum obedientia Ioannis XXII. fuisse factam. (*& infra*) Quomodo audet hæreticos vocare existentes in hac sacra Synodo, qui in eadem veritate, in eadem doctrina ecclesiæ de auctoritate Conciliorum generalium fideliter & constanter perseverant?

*Sequuntur ibi sua deliramenta Basileenses. Hac autem retulisse visum est, ut non solum ex Augustino patricio, sed ex ipsis Basileensibus, summaria & sufficiens habeatur notitia constitutionis Eugenii incipientis, Moyses, in qua damnantur propositiones eorundem Basileensium de potestate Concilii supra papam. Quam constitutionem refert etiam Ioannes Cochleus in historia Hussitarum libro nono, omissis tamen duobus in locis aliquibus verbis cum illa clausula (*& infra*) in iure canonico usitata; & ex Cochleio desumptam eam inseruit in suis annalibus Brœuius tomo decimosexto, anno 1439. numero trigesimoquinto. Eandem igitur constitutionem, supradicta omnia, sanamque & catholicam doctrinam continentem, sacro approbante Florentino Concilio promulgatam, integram & extensam ex Vaticano codice hic subiicimus.*

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.*

**M**OYSES vir Dei, populi sibi commissi salutem zelans, timensque ne ob seditiosorum schisma Core, Dathan & Abiron, ira Dei in ipsum populum, si illos consequeretur, insurgeret, iussu Domini dixit ad plebem vniuersam: *Recedite a tabernaculis impiorum hominum, & Num. 16. nolite tangere quae ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Senferat enim ipso Domino inspirante, seditiosos & schismaticos illos vltionem grauissimam excepturos, sicut postmodum rei monstrauit euentus, dum nec ipsa terra eos potuit sustinere, sed iusto Dei iudicio illos absorbuuit, vt descenderent in infernum viuentes. Sic & nos, quibus licet immeritis Dominus Iesus Christus populum suum committere dignatus est, audientes illud execrabile scelus, quod quidam perditii homines Basileae commorantes ad scindendam sanctae ecclesiae vnitatem proximis diebus machinati sunt, metuentesque ne quos incautos seducant fraudibus & venenis inficiant, ad ipsum Domini nostri Iesu Christi populum nobis creditum clamare pari voce compellimur: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, cum longe amplior sit plebs Christiana quam illa tunc Iudaorum: ecclesia sanctior quam synagoga; & Christi vicarius ipso Moyse auctoritate & dignitate superior.*

Quam Basileensem impietatem dudum prauidere coepimus, quandoquidem illud tunc Basileense Concilium intuebamur iam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, standumque pro libitu factionis auctorum cogerentur, dum nonnullorum vota & iudicia diuersis artibus extorquerentur, dum conspirationibus, coniurationibus, monopoliis & conuenticulis pene omnia cederent, & pro ambitione papatus diuturna protractio ipsius Concilii quarebatur. Vbi denique innumera nouitates, inordinationes, deformitates, & quasi infinita patrabantur mala, ad quod etiam laici & clerici infra sacros ordines constituti, ignorantibus, inexpertis, vagis, dyscolis, profugis, apostatae, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, nobis & suis superioribus rebelles, & reliqua istiusmodi hominum monstra concurre-



rent, qui & ab ipsis scelerum magistris in omnem corruptionis labem facile trahebantur.

Aduertimus etiam ad illud sanctissimum opus unionis orientalis ecclesiae, quod per quorundam factionum Basileensium fraudes omnino periclitari videbamus; & idcirco tantis malis, quantum in nobis erat, providere cupientes, ex praedictis & aliis rationabilibus & necessariis causis, de quibus in decreto translationis plenius continetur, praefatum tunc Basileense Concilium, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio, plurimis venerabilibus fratribus & dilectis filiis archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus & aliis ecclesiarum praelatis & magistris ac doctoribus id laudantibus, ad ciuitatem Ferrariensem transtulimus, ubi etiam cum occidentali & orientali ecclesia Concilium oecumenicum, Domino disponente, fundauimus: deinde morbo pestis superueniente & continuante, ad hanc ciuitatem Florentinam, eius gratia annuente, eodem approbante Concilio transtulimus, in qua ipse piissimus & clementissimus Deus ostendit mirabilia sua, ut scilicet schisma illud perniciosissimum, quod in Dei ecclesia per quingentos fere annos cum maximo totius Christianitatis detrimento durauerat, & ad illud extirpandum plurimi sancti Romani pontifices praedecessores nostri, multique reges & principes & alii Christiani magnis olim laboribus & expensis diutissime insudarant, post multas tandem in utroque loco disputationes publicas & priuatas, diuersos tractatus ac labores multiplices, sublatum fuerit, & sanctissima Latinorum & Graecorum unio feliciter consummata, prout in decreto superinde confecto & solenniter promulgato plenius continetur.

Ex qua re ipsi aeterno Deo inexhaustas gratias referentes, omnique fidei populo congratulantes, obtulimus illi hostiam iubilationis & laudis. Vidimus enim non gentem unam, velut Hebraeorum populum ad terram repromissionis reuocari, sed multarum gentium populos, nationes & linguas ad unum diuinae veritatis eloquium meritumque concurrere, per quod etiam iam magna spes redditur, ut ipse sol iustitiae in oriente oriens ad aliarum multarum gentium etiam infidelium tenebras radios suae  
lucis

suæ lucis extendat, fiatque salus Domini vsque ad extremum terra.

Cuius quidem rei iam optimas arrhas, Deo disponente, tenemus, dum ipse omnipotens Deus per operam nostram Armenorum oratores ex longissimis orientis partibus ad nos & sanctam apostolicam sedem, & sacrum hoc Concilium iis diebus cum pleno mandato peruenire concessit, qui nos non aliter quam beatum Petrum apostolorum principem intuentes ac venerantes, ipsamque sanctam sedem veluti matrem omnium fidelium & magistram recognoscentes, ad eam & præfatum Concilium pro spirituali cibo & sanæ doctrinæ veritate se venisse professi sunt: ob quam rem ipsi Deo nostro iterum gratias multas retulimus. Sed quas in præfato diuino opere molestias, quas impugnationes, quas denique persecutiones, non quidem a Turcis & Sarracenis, sed a vocatis Christianis hucusque passi fuerimus, horret animus commemorare. Refert beatus Hieronymus, quod ab Hadriani temporibus vsque ad imperium Constantini, in loco resurrectionis dominicæ simulacrum Iouis, & in crucis rupe statua Veneris ex marmore a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus tollere nobis fidem resurrectionis & crucis, si sancta loca per idola polluisent.

Non dissimile a Basileensibus illis hominibus perditissimis nobis & ecclesiæ Dei his diebus fieri contigit, nisi quod illud a paganis & verum Deum ignorantibus factum est, hoc ab his qui cognouerunt & oderunt. Et idcirco superbia eorum, iuxta prophetam, ascendit semper, eo periculosius, quo sub reformationis specie, quam in se semper horruerunt, venena diffundunt. Primum quidem postquam hi qui omnis scandali patratores Basileæ fuerunt, Græcis in promissione defecerant, cum per ipsorum Græcorum & ecclesiæ orientalis oratores plane intelligerent, carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Palæologum Romæorum imperatorem illustrem, & bonæ memoriæ Iosephum patriarcham Constantinopolitanum, reliquosque tam prælatos, quam alios orientalis ecclesiæ, ad locum illum pro œcumenico Concilio celebrando per nostros legatos & præfidentes, aliosque ex præstantiori

bus ibidem existentibus, ad quos ius eligendi locum, iuxta conuentionem communi omnium eiusdem Concilii consensu firmatam, post graues suppositorum eius diffensiones deuolutum erat, legitime accedere uelle; cumque etiam nos hanc ipsam loci electionem, ad supplicationem & instantiam maximam dictorum oratorum, in generali consistorio Bononiæ confirmasse, & galeas & alia necessaria pro executione ipsius decreti conuentionalis, & huius sanctissimæ unionis opere, multis laboribus & impensis uersus Constantinopolim destinare percepissent, quoddam detestabile monitorium, seu citatorium, quo sanctum hoc opus interciperent, contra nos & præfatos cardinales decernere ausi sunt, illudque ad præfatos imperatorem & patriarcham Constantinopolitanum mittere, ut ipsos & omnes alios omnino a ueniendo diuerterent. Sciebant enim illos ad alium locum quam electum, ut præmittitur, nullo pacto uenturos. Deinde cum prædictos imperatorem & patriarcham, ac reliquos pro ipso sanctissimæ unionis opere ad nos iam uenire percepissent, alium impietatis laqueum huic tam diuinæ rei iniicere sunt conati, dum quamdam sacrilegam suspensionis ab administratione papatus assertam sententiam contra nos protulerunt.

Postremo memorati scandalorum duces, numero quidem paucissimi, quorum plerique conditionis infimæ & nominis, ueræ pacis odiosissimi, iniquitatem super iniquitatem apponentes, ut non intrarent in iustitiam Domini, dum Spiritus sancti gratiam pro ipsorum Græcorum unione iam in nobis operari conspicerent, a recta linea per anfractus erroris exorbitantes, præfensam quamdam xvii. Kalendas Iunii proxime præteriti sessionem fecerunt, <sup>a</sup> in qua quibusdam decretis, licet per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Ioannis xxiii. sic in eadem obedientia nuncupati, Constantiæ schismate tunc vigente editis, inhærere se dicentes, tres propositiones, quas fidei ueritates uocant, quasi nos & omnes principes & prælatos, & alios fideles & deuotos apostolicæ sedis hæreticos facerent, protulerunt: quarum tenor sequitur in hæc uerba.

Veritas de potestate Concilii generalis uniuersalem

<sup>a</sup> Concil. Basili. sess. 33.

ecclesiam repræsentantis supra papam, & quemlibet alterum, declarata per Constantiense & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei catholicæ.

Veritas hæc, quod papa Concilium generale vniuersalem ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum, super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus auctoritatiue potest dissoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus.

In hoc perniciosissimi dum suam malignitatem sub veritatis fidei furo colorant, Constantiense Concilium in malum ac reprobum sensum, & a sana doctrina penitus alienum pertrahunt, ceterorum schismaticorum & hæreticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores & impia dogmata ex diuinis scripturis & sanctis patribus peruerse intellectis semper sibi adstruere moliuntur. Deinde auertentes penitus sensum suum, & declinantes oculos suos, ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum, more Dioscori & damnatæ Ephesinæ

<sup>a</sup> Synodi, ad quamdam venenatam execrabilemque assertæ declarationis seu priuationis sententiam a dignitate & officio summi apostolatus inexpiabili quodam scelere processerunt <sup>b</sup>, cuius tenorem omni piæ menti horribilem habere hic volumus pro sufficienter expresso: nihil omitentes, quantum in eis fuit, quin hoc incomparabile vnionis bonum in totum euerterent. O miseros & degeneres filios! O prauam & adulteram generationem! Quid hac impietate ac iniquitate crudelius, quid detestabilius, horribilius atque insanius excogitari poterat? Dixerant olim, nihil melius, nihil gloriosius atque fructuosius hac sanctissima vnione ab exordio nascentis ecclesiæ in populo Christiano visum vel auditum fuisse, neque expedire in re illa de loco contendendum fore, sed pro ea consequenda nedum huius mundi substantiam, sed & corpus atque animam exponi debere, pro hac toto orbe clamantes, & ad id commouentes populum Christianum, veluti in suis decretis & epistolis plene continetur. Nunc vero tam furiose, tam impie, quantum in eis est, id idem persequuntur,

*Concil. Tom. 33.*

Xxx ij

<sup>a</sup> Conciliabulum secundum Ephesinum, in quo sanctus Leo papa fuit damnatus a Dioscoro.  
<sup>b</sup> Concil. Basili. sess. 14.

vt ad illud Basileense latrocinium totius orbis dæmonia confluxisse videantur. Et licet illorum iniquitatem, sibi semper mentitam, omnipotens Deus hucusque praualeare non permiserit, cum tamen ad eam complendam vsque ad abominationem desolationis in Dei ecclesia viribus omnibus studeant, nos qui sine grauissima Dei offensa ac imminente periculo confusionis & abominationis in Dei ecclesia talia dissimulare nullo modo valemus, iuxta pastoralis officii nostri debitum, multis etiam zelo Dei succensis nos ad hoc ipsum impellentibus, tantis malis obuiare volentes, ac quantum in nobis est, optime & salubriter prouidere, execrabilemque impietatem ac pestem perniciosissimam a Dei ecclesia eliminare, prædecessorum nostrorum sequentes vestigia, qui, vt scribit sanctæ memoriæ Nicolaus papa, soliti sunt Concilia etiam vniuersorum pontificum nequiter celebrata cassare, sicut in vniuersali contigit Synodo Ephesina secunda, quam beatissimus Leo papa submouit, & Calchedonensem instituit, solenne & salubre declarationis decretum contra sacrilegos ipsos auctoritate apostolica in sacro Ferrariensi<sup>b</sup> generali Concilio xv. Kalendas Martii per nos editum, hoc sacro approbante Concilio, innouamus. Per quod quidem inter alia omnes & singulos Basileæ sub prætensi Concilii nomine, quod verius conuenticulum esse diximus, contra translationem & declarationem nostras contraueniens, & illa scandalosa & nefaria præsumentes, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali, aut alia quauis dignitate ecclesiastica vel sæculari præfulgerent, excommunicationis, priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum, ac inhabilitationis ad futura, pœnas in dictis nostris literis translationis contentas, ipso sacro Ferrariensi approbante Concilio, incidisse declarauimus.

Decernentes etiam nunc & declarantes, quæcumque per dictos impios homines Basileæ existentes facta & attentata, de quibus in præfato nostro Ferrariensi decreto fit mentio, similiter omnia & singula per prædictos ex post facta, gesta & attentata specialiter in duabus prætensis sessionibus, seu verius conspirationibus vltimo nominatis, ac quidquid ex eis, vel ex ea forsitan secutum sit,

\* Omnium scilicet aliorum episcoporum sine summi pontificis congregationum auctoritate & communi-  
one, epist. 8. ad Michaellem imp. 6. Quod autem in hinc, & 5. Quomodo, tom. 3. par. 1. sect. 1. Conc. general. edit. Colonienf.  
<sup>b</sup> Refertur supra part. 1. num. 30.

& in futurum sequi posset, tamquam ab impiis hominibus & nullam potestatem habentibus, sed a Deo abiectis & reprobatis, fuisse & esse nulla, cassa & irrita, & de facto præsumpta, ac nullius penitus effectus, roboris vel momenti.

Ipsasque propositiones superius descriptas, iuxta præu-<sup>Damnat  
propositiones  
de potestate  
Concilii su-  
pra papam.</sup>uum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti sacrosanctæ scripturæ & sanctorum patrum, & ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium, nec non præfatam assertam declarationis seu priuationis sententiam, cum omnibus inde secutis, & quæ in futurum sequi possent, tamquam impias & scandalosas, nec non in manifestam ecclesiæ Dei scissuram, ac omnis ecclesiastici ordinis & Christiani principatus confusionem tendentes, ipso sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus, ac damnatas & reprobatas nuntiamus.

Decernimus etiam & declaramus, omnes & singulos prædictos fuisse & esse schismaticos & hæreticos, & ultra poenas in præfato Ferrariensi Concilio declaratas, tamquam tales cum omnibus eorum fautoribus & defensoribus, cuiuscumque status, conditionis & gradus ecclesiastici vel secularis extiterint, etiamsi cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali, aut alia quavis dignitate præfulgeant, vt cum prædictis Core, Dathan & Abiron meritam accipiant portionem, poenis condignis omnino puniendos.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, declarationis, damnationis & reprobationis, nuntiationis, constitutionis & dispositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Florentiæ in sessione publica synodali sollemniter in ecclesia sanctæ Mariæ Nouellæ celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo nono, pridie Nonas Septembris, pontificatus nostri anno nono.

NOTÆ AD CONSTITVTIONEM EVGENII IV.  
*quæ incipit, Moyses, approbante Concilio Florentino editam, in qua damnantur propositiones Basileensium de potestate Concilii supra papam.*

<sup>1</sup> *Per unam.* ] Existentes in Basileensi Concilio prætendebant, vt sess. 2. & 33. legitur, quod Concilium esset supra papam.

Huius prætensionis fundamentum erat decretum Concilii Constantien. sess. 4. & 5. cuius hæc sunt verba.

*Hæc sancta Synodus generale Concilium faciens, pro extirpatione presentis schismatis, & unione & reformatione ecclesie Dei in capite & in membris, ordinat, diffinit, decernit & declarat, vt sequitur.*

*Et primo declarat, quod ipsa potestatem a Christo habet immediate, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his qua pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ ecclesie in capite & in membris.*

*Item declarat, quod quicumque cuiuscumque status & dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, ordinationibus aut præceptis huius sanctæ Synodi & cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ penitentiae subiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. Hæc ibi.*

In hac autem constitutione Eugenius papa primo dicit, hoc decretum Concilii Constantiensis de potestate Concilii supra papam fuisse conditum a sola obedientia Ioannis XXIII. post eius recessum a Concilio.

Secundo docet, in malum ac reprobum sensum a Basileensibus pertrahi.

Quæ duo clarissima sunt, & ex actis Concilii Constantiensis apparent, ac testatur hic ipse Eugenius, qui in minoribus constitutus Constantiæ in Concilio præsens aderat, vt in suis constitutionibus supra relatis part. 1. num. 4. & 13. & qui pariter eidem Concilio interfuit Turrecrem. de ecclesia lib. 20. cap. 99.

Quoad primum enim sciendum est, quod Concilium Constantiense in teterrimo illo trium pontificum schismate, videlicet Ioannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia Ioannis XXIII. Constantiæ conuenit, & tredecim priores sessiones eiusdem Concilii habuit. Secundum, in quo Gregorius XII. cum sua & ipse obedientia eidem Concilio se adiunxit: sed non quasi a Ioanne XXIII. prius, sed tamquam a se nouiter conuocato, vt in sessione 14. & eius bulla initio sessionis posita apparet. Tertium tempus fuit, quando obedientia Benedicti XIII. eidem Concilio etiam ipsa se adiunxit, vt in sessionibus 20. 22. & 35. apparet, relicto obstinato Benedicto, contra quem postea Concilium tulit sententiam sess. 37.

Igitur decretum præfatum de potestate Concilii supra papam conditum fuit a sola obedientia Ioannis XXIII. nimirum in sess. 4. & 5. quando, vt dictum est, Gregorius XII. & reliquæ obedientiæ non adhuc se iunxerant Concilio, imo nec ipse Ioannes XXIII. aderat: iam enim Constantia aufugerat, vt ex ipsis actis & sessionibus apparet, ac testatur Turrecremata, & dicit hic Eugenius. Vnde doctissime concludit idem Turrecremata vbi supra his verbis: *Decreta de potestate Concilii supra papam, quæ inducuntur, nullius sunt roboris vel momenti, quoniam in illorum determinatione non modo non interuenit vniuersalis ecclesia, sed vna obedientia tantum Ioannis XXIII. sed etiam nec integre tota illa obedientia, quoniam plures patres doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterunt consensum, imo nec ipse Ioannes XXIII.* Hæc Turrecremata, qui subdit, Ioannem aufugisse Constantia, & tempore conditi decreti commoratum fuisse Schaffhusæ: ex quibus infert, temerarium esse & scandalosum dicere, quod Concilium solius obedientiæ Ioannis XXIII. esset generale: cuius dictum eo vel maxime verum est, quia potiora iura papatus (vt notum est) erant penes Gregorium XII. qui eidem Concilio adhuc non consenserat, vt dictum est. Eadem dicit Rodericus de Azeualo, alias Calaguritanus, in dial. de schismate, qui manuscriptus extat in bibliotheca Vaticana num. 4002. fol. 33. Eamdem doctrinam optimis rationibus confirmat Andreas Duallius doctor Sorbonicus super 2. 2. sancti Thomæ tract. de comparat. papæ & Concilii, quæst. 7. vbi pio zelo commotus suos hortatur Gallos, *Ne diffinitionem hanc Concilii Constantiensis, tamquam vere & proprie æcumenici, adeo pugnaciter urgeant.*

Statim vero occurrit prima obiectio facta huic constitutioni Eugenii a Basileensibus in quadam eorum responsione synodali, quæ incipit, *Beatus Hieronymus*, quia damnationes hæresum Ioannis Vuicleff factæ fuerunt sess. 8. a sola obedientia Ioannis XXIII. sed & contra ipsum Ioannem XXIII. ab eius sola obedientia lata fuit sententia priuationis sess. 12. Vnde si verum est quod diximus, sequeretur quod nec ista sententia priuationis, nec damnationes hæresum essent vllius roboris.

Responderetur, quod Ioannes XXIII. sub iuramento promiserat Concilio Constantiensi a se conuocato sess. 2. se renuntiatum papæ pro pace ecclesiæ ad tollendum schisma, si etiam alii renuntiarent: cui promissioni declarauit ipsa eius obedientia sess. 5. eum non stetisse aufugiendo, & alia faciendo, quæ huic renuntiationi & euidenti ecclesiæ vtilitati erant impedimento: deinde vt habetur sess. 11. ipse Ioannes XXIII. promisit se velle stare sententiæ Concilii ab eo congregati, quam postmodum latam sess. 12. acceptauit, & suæ priuationi acquieuit & consensit, eamque tandem tres obedientiæ simul iunctæ in Concilio facto ipso approbarunt, ad nouam electionem Martini V. deueniendo, qui propterea sess. 42. eandem depositionem Ioannis XXIII. canonicè factam dixit.

Quo vero ad damnationes hæresum Ioannis Vuicleff, responde-



tur, quod robur fidei accipiunt a confirmatione summi pontificis Martini V. facta eodem sacro approbante Concilio, ut in bulla, seu literis apostolicis quæ extant inter acta vltimæ sess. eiusdem Concilii Constantiensis, in quibus literis omnes hæreses hæreticorum, ut iam fuerant in sessionibus Concilii recensitæ, denuo recensentur & damnantur eodem approbante Concilio.

Secunda obiectio eorundem Basileensium ibidem est, quia Martinus papa V. in præfatis literis apostolicis inter fidei interrogatoria & propositiones credendas ponit, ut credatur, quod *condemnationes errorum & hæresum Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de personis & libris eorum per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint iuste & rite factæ.* Ergo summus pontifex agnoscit illud Concilium ut generale etiam in vna sola obedientia Ioannis XXIII. nimirum in illa sess. 8. in qua fuerunt damnati errores Ioannis Vuicleff, antequam Concilio consentirent Gregorius XII. & Benedictus XIII. Item in alio interrogatorio ibidem dicit Martinus V. *Credendum esse & approbandum, quod in fauorem fidei & salutem animarum, Concilium Constantiense vniuersalem ecclesiam representans approbavit & approbat, condemnauit & condemnat:* ergo infertur iterum idem quod supra.

Respondetur ex Caietano opusculo de potestate papæ & Concilii cap. 8. quod congregatio Constantiensis inchoauit primo in obedientia Ioannis XXIII. & deinde iterum in coniunctione obedientie Gregorii XII. & tertio in coniunctione obedientie Benedicti XIII. consummata est, & post electionem Martini V. in eodem Concilio præsentis auctorizata: & ab hoc nobiliori & certiori statu nuncupatiue in quolibet statu Concilium generale vocatur a papa nominibus vtendo vt plures absque veritatis offensa: imo vt insinuaret pontifex, quod ab hoc vltimo statu Concilium appellabat generale, præfato interrogatorio fidei præterito coniunxit præfens, dicens, quod Concilium approbavit & approbat, condemnauit & condemnat.

Tertia obiectio eorundem Basileensium, vbi supra, & in eorum epistola synodali quæ incipit, Grande periculum, est, quia in iisdem literis approbationis Martinus V. dicit, *esse credendum, quod generale Concilium Constantiense approbavit & approbat in fauorem fidei & salutem animarum, & condemnandum quod condemnauit & condemnat, vt fidei & bonis moribus contrarium.* Loquens etiam (inquiunt Basileenses) de illis quæ circa principium ipsius Concilii Constantiensis diffinita & approbata sunt, sicut præfata litera indicant, quæ expressam mentionem faciunt de declaratione facta circa principium ipsius Concilii super communionem sub vtraque specie, & de condemnatione errorum & personarum eorundem Ioannis Vuicleffi & Hus. Hæc Basileenses.

Respondetur, quod approbatio pontificia refertur quidem ad ea quæ etiam initio Concilii a sola obedientia Ioannis XXIII. gesta sunt, sed respectu hæreticorum & hæresum Ioannis Vuicleffi & aliorum, nimirum post sess. 4. & 5. in quibus continetur decretum potestatis Concilii de quo agimus, & incipiendo a sess. 8. in qua primo

mo fuerunt damnati articuli Ioannis Vuicleffi, & de communione sub vtraque specie sess. 13. & reliqui deinceps.

Confirmatur primo hæc responsio ex verbis Martini V. in præfatis literis prope initium, scilicet: *Proinde Synodus præfata ad Dei gloriam, ipsiusque catholica fidei ac Christiana religionis conseruationem, & animarum salutem & præseruationem, eosdem Ioannem Vuicleff, & Ioannem Hus, & Hieronymum de Praga, qui inter cetera de sacro eucharistia sacramento aliter quam sancta Romana ecclesia credit & prædicat, &c.* Et paulo infra, nec non postea in interrogatoriis fidei, semper se restringit ad hæreses & hæreticos damnatos in Concilio, quorum articulos eodem prorsus modo quo fuerant inserti & damnati in sessionibus Concilii, inserit & damnat.

Confirmatur secundo ex eo, quod illis interrogatoriis dicit pontifex esse interrogandos eos qui erant suspecti de professione articulorum & hæresum præfatorum hæreticorum: ergo ad illos articulos refertur eiusdem pontificis approbatio vel damnatio.

Confirmatur tertio, quia in præfatis literis apostolicis Martinus V. nullam approbationem, nec mentionem facit de præfato decreto potestatis Concilii supra papam, imo potius decretum penitus contrarium firmatum est eodem approbante Concilio ab eodem pontifice. Etenim inter alia interrogatoria fidei hæc ibi leguntur: *Quod beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi super terram. Item, quod papa canonice electus qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam potestatem in ecclesia Dei.* Hæc ibi. Certissimum est autem, vt optime infert Turrecremata vbi supra, quod hi duo articuli de potestate papæ non possunt simul stare cum illo decreto de superioritate Concilii, quoniam vt habetur c. Inferior dist. 21. non potest quisquam, qui inferioris auctoritatis est, eum qui maioris est, propriis subiicere diffinitionibus.

Quarta obiectio eorumdem Basileensium in præfata responsione synodali & in alia epistola synodali, quæ incipit, *Grande periculum*, his verbis ab eis concipitur: *Martinus papa V. approbante Concilio Constantiensi, vniuersis episcopis & inquisitoribus mandauit per literas suas continentes, quod est de necessitate salutis credere generale Concilium habere supremam auctoritatem in ecclesia.* Ergo inferunt ipsi Basileenses, Concilium est supra papam.

Respondetur, quod hæc verba formalia quæ adducunt Basileenses, non leguntur in præfatis literis apostolicis Martini V. in fine Concilii Constantiensis, sed articulus 41. Ioannis Vuicleffi sic ibi legitur: *Non est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.* Hanc propositionem & articulum his verbis damnauit Concilium Constantiense sess. 8. insertis in præfatis literis apostolicis: *Error, si per Romanam ecclesiam intelligat vniuersalem ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares.* Hæc ibi. In quibus verbis non accipitur ecclesia vniuersalis, aut generale Concilium seorsim a papa, vt interpretantur Basileenses. Quomodo enim posset intelligi

Concil. Tom. 33.

Y y

nomine Romanæ ecclesiæ, si eius capiti non iungeretur? Et secundum hunc sensum, nulla potestas Concilii supra papam, sed corporis subiectio ad caput demonstratur. Et hic est verus & germanus sensus Concilii Constantiensis, nimirum contra dictum articulum & errorem Ioannis Vuicleffi & Ioannis Hus ibidem, negantium caput visibile in ecclesia Dei: & sic vterque eorum constituebat ecclesiam acephalam. Quod si Basileenses contendant comparisonem esse inter generale Concilium & ecclesiam Romanam secluso capite Romano pontifice, nihil ex ea comparatione concluditur contra papæ potestatem.

Ceterum ipsum Concilium Constantiense in præfatis verbis subinfert primatum papæ super omnes alias ecclesias particulares, quod dictum Concilii approbavit quidem Martinus V. ibidem. Sed cum sit sermo affirmatiuus de primatu super particulares ecclesias, & non negatiuus de primatu super vniuersalem ecclesiam, ideo hunc sensum non excludit, vt inquit Caietanus: imo cum explicans & amplians summus pontifex, sacro eodem approbante Concilio, ibidem in interrogatoriis declaravit, *Quod beatus Petrus fuit vicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi super terram, & quod papa canonice electus qui pro tempore fuerit, eius proprio nomine expresso, sit successor beati Petri, habens supremam potestatem in ecclesia Dei.* Quæ declarationes & interrogatoria tendunt in destructionem prædictorum articulorum & hæresum, ac etiam alterius articuli septimi Ioannis Hus negantis, Petrum esse vel fuisse caput ecclesiæ catholice. Itaque verbum, *primatus*, appositum vbi supra a Concilio, explicauit & ampliauit papa, eodem approbante Concilio, per verbum *potestatem*: & verba, *super alias ecclesias particulares*, explicauit & ampliauit per verba, *super ecclesiam Dei*. Concilium enim exprefert solum de ecclesiis particularibus, vt per eadem verba damneret hæresim & articulum vndecimum Ioannis Hus dicentis, non oportere credere, *quod Romanus pontifex sit caput cuiuscumque particularis ecclesie.* Vide Caietanum in cit. opusc. cap. 9. & Grauinam de catholic. præscript. tom. 4. part. 2. disputat. 1. art. vltimo, dub. 1. ad argumenta tertiæ classis fol. mihi 293.

Quinta obiectio nullibi fit a Basileensibus, sed eam faciunt catholici, vt nil intactum relinquunt, atque optime dissoluunt, vt dicemus. Obiiciunt itaque, quod Martinus V. sess. 45. & vltima, omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei, conciliariter per Concilium Constantiense approbavit. Ergo intelligitur etiam approbatum decretum de potestate Concilii supra papam; præsertim quia in sess. 5. ante lectionem & publicationem dicti decreti hæc leguntur: *Capitula per modum constitutionum synodalium, prius per singulas quatuor nationes conclusa & deliberata.* Hæc ibi.

Vt igitur respondeamus, obseruanda est occasio, qua Martinus V. protulit illam approbationem generalem. Itaque in præfata sess. 45. & vltima, hæc leguntur: *Ambasiatores serenissimi principis Vladislai Poloniae regis, & illustrissimi principis domini Alexandri, alia*

Vuitoldi magni ducis Lituania, petierunt nomine dictorum dominorum quemdam libellum cuiusdam fratris Ioannis Falkenberg, notorie crudelissimos errores & hereses, vt dixerunt, continentem, rite damnatum tamquam hereticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes Concilii, ac per collegium cardinalium, prout dixerunt constare publicis instrumentis in sessione publica per sacrum Concilium damnari seu publice damnatum pronuntiari, antequam presens Concilium dissolueretur, sanctissimo domino nostro papa humiliter supplicarunt: alioquin nomine quo supra protestabantur de grauamine & de appellando ad futurum Concilium: quibus sic factis, sanctissimus dominus noster papa dixit respondendo ad predicta: *Quod omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei per presens Concilium conciliariter, tenere & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquam contraire quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Hæc ibi. Ex quibus apparet, vt etiam colligitur ex his quæ refert Ioannes Leiau de pontificis auctoritate libro tertio, folio mihi 412. pontificem noluisse approbare vel damnare approbata vel damnata priuatim per nationes Concilii, sed ea tantum quæ conciliariter in publicis sessionibus fuerant approbata vel damnata. Itaque responsio summi pontificis, quamuis generalis (vt in alio sensu obseruat Caietanus citato opusculo de potestate papæ & Concilii cap. 8.) referenda & restringenda est ad interrogationem & protestationem ambassiatorum, nimirum ad approbationem vel damnationem in materiis fidei contra hæreses tunc insurgentes & damnatas in Concilio conciliariter, & non ad alias materias: & propterea subsecuta sunt illæ literæ apostolicæ de damnatione articulorum & hæresum Ioannis Vuicleffi, Ioannis Hus & Hieronymi de Praga, de quibus supra diximus, vt notat Caietanus vbi supra.

Confirmatur primo hæc responsio, quia in actis Concilii Constantiensis prima mentio de materiis fidei & deputationis commissariorum contra hæreses fit in sess. sexta: & in sess. octaua damnantur hæreses Ioannis Vuicleffi: vnde ab his sessionibus sumendum est initium decretorum fidei, quæ in hac generali approbatione approbavit Martinus V. & sic post decretum illud potestatis Concilii supra papam factum in sessionibus 4. & 5.

Confirmatur secundo, quia ideo Martinus papa (vt obseruat Caietanus vbi supra, Bellarm. de Concil. lib. 2. cap. 19. & alii fere omnes infra citandi) addit in approbatione verba illa, *conciliariter, & non aliter, nec alio modo*: nimirum quia ea tantum voluit approbare, quæ in Concilio conciliariter, præuio scilicet diligenti examine & inquisitione more Conciliorum, fuerant approbata vel damnata, nimirum a sess. 8. & deinceps, vt dictum est.

Confirmatur tertio, quia vt obseruat Turrecremata de ecclesia lib. 2. cap. 99. ipsum Concilium Constantiense post vnionem trium obedientiarum, nempe in sess. 40. ab eo decreto recessisse, vel certe nec in mente illud habuisse existimandum est. Etenim in dicta

sess. 40. decernit, quod futurus pontifex cum hoc sacro Concilio, vel deputandis ab eo, debeat reformare ecclesiam in capite & in membris: ex quibus apparet, quod non sibi hæc munia arrogabat Concilium per illud decretum quintæ sessionis de potestate Concilii supra papam.

Confirmatur quarto, quia nec ipsi Basileenses in vlla sessione, seu responsione vel epistola synodali, fecerunt vnquam mentionem aut vim in ista generali approbatione Martini V. nimirum quia notissimum erat, illam responsionem factam ambassiatoribus, referri & restringi ad instantiam eorum de damnationibus hæreticorum & hæresum in eodem Concilio, vt dictum.

Confirmatur quinto, quia tantum abest vt hoc decretum confirmauerit Martinus quintus, vt potius in fine Concilii & eodem approbante Concilio in præfatis literis apostolicis infirmauerit & reprobauerit illis interrogatoriis fidei: *Quod beatus Petrus fuerit Christi vicarius, habens potestatem ligandi & soluendi super terram.* Item, quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius etiam proprio nomine expresso, sit successor beati Petri, habens supremam potestatem in ecclesia Dei: de quibus supra diximus.

<sup>2</sup> *Malum.*] Secundum quod docet in hac constitutione Eugenius, est, quod dato & non concesso, quod illud decretum Constantiense & ab initio fuerit legitime conditum, & postea a Martino V. approbatum, adhuc tamen in malum ac reprobum sensum a Basileensibus pertrahitur. Etenim decretum illud in sess. 4. & 5. Concilii Constantiensis supra relatum facit quidem pro Constantiensi & quocumque alio Concilio generali legitime congregato, sed limitatiue & restrictiue. nam dicit: *In his que pertinent ad fidem & extirpationem schismatis.* & iterum replicat illa verba, *Super præmissis, seu ad ea pertinentibus.* Propterea illa etiam verba de reformatione ecclesiæ in capite & in membris, vt optime ait Grauiua vbi supra fol. mihi 280. non intelliguntur de reformatione quacumque vniuersali & indefinita, sed de restrictiua tantum ad casus illos contingentes ex hæresis vel schismatis occasione. *Concilium enim congregatum in casu schismatis non habet immediate potestatem a Christo ad ordinandam vniuersalem ecclesiam, sed ad providendum illi casui tunc occurrenti,* vt ait Caietanus citato opusc. cap. 16. Itaque secundum subiectam materiam eius temporis & occasionis loquitur & decernit Concilium Constantiense. *Quando,* vt ait Turrecremata vbi supra, *non est in ecclesia vnus pastor totius ecclesie indubitatus,* cap. *Si duo,* dist. 79. Et Caietanus opusc. cit. cap. 8. sic ait: *Qui nescitur legitime electus papa, tamquam non papa obedire tenetur.* Et cap. 16. hæc repetit: *Quando papa vnus vel plures incerta electione laborant, vt contigisse dicitur in magno schismate Urbani VI. & aliorum, tunc ne perplexa sit ecclesia, illa membra ecclesie qua inueniuntur, potestatem habent iudicandi verum, si potest sciri; & si sciri nequit, providendi, quod electores in vnum eorum vel alium conueniant: & si certi electores nescirentur, cum electio ad ecclesiam deuoluta sit ex ipso electo-*

rum defectu, Concilium sic imperfectum eliget, ut in Concilio Constantiensis factum videtur in electione Martini V. Hæc Caietanus. Bellarminus etiam de Concilio libro secundo capite 19. hæc habet: *Dubius papa habetur pro non papa, & proinde habere super illum potestatem, non est habere potestatem in papam.* Eadem habet Andreas Duuallius doctor Sorbonicus in 2. 2. sancti Thomæ sub titulo de comparatione summi pontificis & Concilii, quæstione 7. his verbis: *Concilium certum incerto & dubio pontifice est superius, eumque potest & debet deponere, si de alterius iure magis constet; aut saltem aliquem de nouo eligere, ut in Concilio Constantensi factum est.* (& infra.) *Concilium Constantense diffinit, Concilium esse superius pontifice dubio & incerto, quod accidit quando schismate laborat & vexatur ecclesia, & iura contendentium omni ex parte sunt dubia: tunc enim nemo dubitat, quod in ecclesia sit potestas ad dubios illos pontifices, vel alterum eorum deponendum, aut aliquem in eorum locum sufficiendum.* Hæc Duuallius. Verba igitur decreti limitatiua & restrictiua in his quæ pertinent ad extirpationem schismatis, sunt clara.

Eteodem modo sunt intelligenda eadem verba circa particulam illam, *In his quæ pertinent ad fidem.* Ad fidem enim reducitur declarare in schismate plurium pontificum, quis eorum sit papa, & vtrum hic vel alius, seu alii deponere & abdicare debeant vel teneantur. Etenim ad fidem pertinet, ut legitur in interrogatoriis fidei in præfatis literis apostolicis Martini papæ V. *Quod papa canonice electus, eius etiam proprio nomine expresso, sit successor beati Petri, & habeat potestatem supremam in ecclesia Dei.* Propterea in præfato decreto Constantensi dicitur, *Quod obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis.* Non dicitur credere, sed obedire. Quamuis enim hæc duo verba ad fidem pertineant, tamen verbum *obedire* magis explicat sensum Concilii, in casu scilicet schismatis, quod obedire teneatur in causa fidei, nimirum vtrum ipse, vel alius, vel de nouo electus sit legitimus papa.

Aliam etiam expositionem verborum illorum, *In his quæ pertinent ad fidem,* secutus est Grauina vbi supra fol. mihi 280. quæ dederunt ipsi Basileenses in eorum responsione synodali quæ incipit, *Cogitanti,* his verbis: *Probat hoc etiam diffinitio vniuersalis ecclesie quæ non potest errare, ita diffinientis in Concilio Constantensi, quod peccata pontificum circa fidem & schismata, &c.* Hæc ibi Basileenses, quæ sano modo intelligenda sunt, de papa scilicet ut priuata persona: quamuis hunc etiam casum nunquam contigisse saniores & pii, ex quibus Baronius in suis annalibus, & de posterioribus temporibus Bellarminus de Roman. pontif. lib. 4. cap. 6. & seqq. & alii defendunt.

Ceterum de conuocatione Concilii in his casibus, quodque Concilii potestas in casu hæresis vel schismatis sit ministerialis & declaratiua, depositio autem ab ipso Christo, sicut & electio est ab hominibus, sed iurisdictio papalis a Christo, quia non est hic locus de his agendi, vide Caietanum cit. opusc. cap. 16. & 21. Suarez de fide disp. 10. sect. 6. Grauinam vbi supra fol. mihi 297.

Igitur Basileenses sentientes sibi contrarium Eugenium summum pontificem, in malum ac reprobum sensum, ut hic ait idem Eugenius, pertrahentes verba decreti Constantiensis, prætendebant auctoritatem suam supra Romanum pontificem, quamvis certum & indubitatum, extendere, eumque sibi subiicere vigore decreti Constantiensis limitati & restricti ad casus schismatis; & de tempore schismatis & incertorum pontificum, trahere sensum decreti ad tempus vnus certi & indubitati vniuersalis ecclesiæ pastoris, quem, ut dicit Martinus quintus, eodem Concilio Constantiensi approbante, in præfatis literis apostolicis, *Credere & venerari vnusquisque Christianus tenetur, eius etiam proprio nomine expresso, ut verum successorem beati Petri, & habentem supremam potestatem in ecclesia Dei.*

Imo non solum Basileenses in malum ac reprobum sensum pertraxerunt verba decreti, sed etiam superimposuerunt illum speciosum titulum: Veritas fidei catholicæ: ut patet sessione trigésimatertia Concilii Basileensis; & addiderunt, quod papa non possit Concilium generale dissoluere, prorogare, aut transferre, quæ & de pontifice certo, vnico & indubitato intelligebant: agebant enim contra dissolutionem & translationem eorum Concilii factam ab Eugenio. Propterea dicit Eugenius in hac constitutione, eos pertrahere verba decreti Constantiensis in prauum sensum, quem facta demonstrant. Tertio denique addiderunt damnationem, declarando hæreticos contrarium sentientes: vnde merito contra eosdem hanc constitutionem sacro Florentino approbante Concilio edidit Eugenius, damnans eos & ab eis assertas veritates, verius falsitates.

Nec est quod Basileenses sessione 38. & in præfata eorum responsione synodali, quæ incipit, *Beatus Hieronymus*, mirentur & conquirentur, cur in hac sua constitutione Eugenius non explicauerit, in quem malum ac reprobum sensum ipsi pertraherent verba decreti Constantiensis: manifeste enim id apparebat tam ex fine & causa conditi decreti Constantiensis, quam ex verbis limitatis & restrictiuis eiusdem decreti, ut supra diximus, in casu scilicet schismatis; ac etiam ex additionibus ab ipsis Basileensibus factis, ut dictum est. Propterea Eugenio satis fuit hæc innuere supradictis verbis, nimirum *iuxta prauum ipsorum Basileensium sensum, quem facta demonstrant*: dum scilicet rebellantes ab obedientia summi pontificis, iudicant & damnant primam sedem a nemine iudicandam, ac certum & indubitatum pontificem, prætextu decreti Constantiensis Concilii, quod apertis verbis solum loquitur in casu dubii & incerti pontificis, quando scilicet plurium inter se pontificum schismate laborat ecclesia Dei, ut supra dictum est.

Verum nec erat summi pontificis officium commentaria edere, sed legem poenalem contra rebelles & inobedientes condere, ac sententiam ferre.

Alias etiam explicationes eiusdem decreti Constantiensis, & re-

sponsiones ad obiectiones præfatas, optimas illas quidem videre est apud præfatos auctores, & quos ipsi adducunt.

Et iuxta præfatas interpretationes Pius II. in sua epistola retractationis ad scholam Coloniensem, vocat Concilium Constantiense generale Concilium, ab ultimo scilicet eius statu, vt supra diximus; atque in ea pluribus sacre scripturæ locis & rationibus adductis ad probandam supremam papæ potestatem in ecclesia Dei, eiusque auctoritatem congregandi & dissoluendi generalia Concilia: demum circa potestatem Concilii subdit limitationem & restrictionem, de quibus supra, dicens: *Quod stante Romano indubitato præfule, ex quo tamquam ex capite omnis defluit in membra potestas, pro nullo habendum sit Concilium, quod absque illius auctoritate conuenerit.* Sed de his satis pro instituto.

Hoc solum addendum hic cenfeo, quod quamuis supradicta de potestate papæ sint verissima, & quamuis in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione vndecima, declaratum sit solum Romanum pontificem pro tempore existentem, tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum & dissoluendorum plenum ius & potestatem habere: nihilo minus quia nonnulli aiunt, vel non diffiniri, vt de fide tenendum, vel tantum agi de potestate indicendi, transferendi & dissoluendi, ideo his & aliis rationibus propositionem hanc, quod Concilium sit supra papam, non vt hæreticam, sed solum vt temerariam damnamam dixerunt, inter alios Bellarminus de Concil. libro secundo, capite decimosextimo, Bannes 2. 2. quæstione prima, articulo 10. dub. 2. & Duuallius doctor Sorbonicus vbi supra de comparatione pontificis & Concilii, ait: *Non esse temerariam in ratione opinionis, a temeritate tamen inobedientia vix posse saluari, quia fouet inobedientiam, & dissidia multa magnosque tumultus in ecclesia semper excitauit.* Hæc Duuallius vir doctissimus, qui pro Christiana erga patriam pietate ibidem quæstione 8. & 11. constantissime testatur, & orbem certiore reddit doctor ipse Sorbonicus, falso diuulgari, quod pro sententia potestatis Concilii supra papam, Sorbona Parisiensis schola iuramentum exigat a suis: vbi etiam demonstrat non id inferri ex iuramento eiusdem scholæ in articulis contra Lutherum tempore Francisci primi Galliarum regis editis, & ibidem in tractatu de suprema pontificis potestate part. 1. in anteloquio quæst. 3. palam facit, male nonnullos hac nostra ætate sibi aliisque persuadere, *Quod Gallia quasi Palladium veneretur Basileense Concilium, cum illud potius quasi Troianum equum aut Seianum habeat.* Vbi & de pragmatica sanctione Caroli VII. Francorum regis, deque Conciliabulo Bituricensi optime disserit.

Iam vero quam censuram mereatur opinio illa potestatis Concilii supra papam, attenda constitutione Eugenii, approbante Concilio Florentino condita, quam præfati doctores non adducunt, patet in ea.



Num. III.

**H**OC eodem anno 1439. quo perfecta fuit unio Græcorum cum apostolica sede in hoc Florentino Concilio, ac etiam in eodem condita præfata constitutio de potestate papæ, subsequuta est unio Armenorum cum eadem Romana ecclesia, de qua hæc ait Græcus scriptor in fine sessionum.

Post aliquot dies venerunt ex Armenia apocrisarii patriarchæ Armeniorum virtute præstantes viri, quærentes & ipsi vnionem fideique reëtitudinem: qui etiam beatissimum papam venerati, viserunt imperatorem, consiliumque suum & animum de conficienda cum ecclesia catholica vnione exposuerunt, petentes, vt ferret auxilium, & prudentia sua iuuaret. Imperator autem respondit, multum sibi placere eorum studium, & gratum fore, si accesserint ad orthodoxam fidem & catholicam ecclesiam; & precari Deum pro dirigenda eorum vnione, quæ si fieret, se quoque promisit ad negotium quodlibet, & quidquid illis opus fuerit, adiutorem. His dictis, recesserunt Armenii; nos vero Florentia exeuntes, Venetias petiuimus, & inde rursus domum rediimus.

*De hac eadem vnione hæc narrat Patricius in præfato compendio sessionis trigesimæ septimæ.*

Aduenientibus Armenorum legatis, & illorum intellectis erroribus circa fidei nostræ puritatem, per multos dies eorum sententias discuti, & per viros sacræ doctrinæ peritissimos confutari, aperiri que veras & catholicas iussit Eugenius pontifex: inde publica sessione celebrata 10. Kalendarum Decembris solenni more, quod ab eis profitendum esset, præscripsit.

*Quid autem præscripserit, & quale fuerit Eugenii decretum, approbante Synodo Armenis traditum, vna cum eorumdem literis, sic describit Andreas de sancta Cruce in fine collationum, de quibus supra.*

Mandatum oratorum Armeniæ, ac decreti formam huic operi Græcorum subiungere volui, vt liquide cunctis innotescant fructus huius Concilii. Ex quo enim præmissa cum Græcis terminata fuerunt vsque ad octauam Nouembris, non minus religiose acuteve quam cum Græcis relatum est, cum Armenis etiam de fidei sacramentis certatum est: quales autem fuerint, ex decreti continentia quisque

quisque qui sapit, clare percipit. Eorum igitur potestas, qui legationis Armenorum fungebantur officio, huius formæ extitit.

*Potestas<sup>a</sup> Armenorum oratorum ab eorum patriarcha deputatorum.*

CONSTANTINVS seruus seruorum Domini nostri Iesu Christi, cum gratia Dei constitutus patriarcha<sup>b</sup> Vagarfabath, scribo literam hanc magnificæ ciuitati Caffæ. Mitto meam benedictionem omni populo habitanti Caffæ. Filii mei fideles, quasi glorians scribo vobis, scilicet filio meo<sup>c</sup> Verteбет<sup>d</sup> Sarchis, qui sedet in sede personæ meæ in Caffa, & archiepiscopo filio meo primogenito, & omnibus sacerdotibus sanctis, Stephano, Moyfi, & omnibus aliis, & nobilibus ciuibus Caffæ, scilicet Amurbeth, Ceualcal Chici, Arnurbert Olbei, Aroniton Andreæ, & omnibus aliis Burgenfibus cum virtute Spiritus sancti, scribo literam hanc, dans vobis benedictionem & salutationem. Benedictio sanctæ crucis & sancti Gregorii fit super vos a sede sanctitatis nostræ. Deus per suam misericordiam liberet vos ab omnibus tentationibus diaboli, tam in spiritualibus & temporalibus, Deus augeat filios & filias & bona vestra.

Sciatis vos, filii mei carissimi, scilicet filius meus Sarchis Verteбет, & vos sacerdotes & Burgenfes noueritis, quod episcopus Emanesius venit ad nos, & portauit literas vestras de Caffa, & etiam vicarii summi pontificis, & etiam literam domini consulis legimus & lætati sumus, quia scripseratis de vnione ecclesiæ Romanæ, postquam audiui, regratiatus fui Deo: ex gratia Spiritus sancti est, quod istud opus est inchoatum, conuenit Christianis habere vnitatem & concordiam: ego cum plenaria potestate dedi auctoritatem Sarchis Verteбет, qui est loco personæ meæ, & Marco Verteбет, & Thomæ Verteбет, & Ioa-chim episcopo Pere, vt eant ad Synodum, & Spiritus sanctus illustret eos, & per virtutem Spiritus sancti, sicut sanctus Siluester & sanctus Gregorius fuerunt concordēs, ita Deus concordet nos in pace & amore & vnione; & sicut Constantinus imperator, & Tartach imperator noster inter se habuerunt concordiam & pacta, ita & vos etiam

*Concil. Tom. 33.*

Zzz

Num. IV.  
<sup>a</sup> De Armenorum natione, regionibus & ritibus, vide Thom. Cantuar. de procur. sal. omni. gent. lib. 7. cap. 19.  
<sup>b</sup> Id est ciuitatis huius nominis Armeno vocabulo, in qua residet patriarcha.  
<sup>c</sup> Doctori, quod & in sequentibus obferu.  
<sup>d</sup> Sergio.

<sup>e</sup> Gregorius, quem Armeni illuminatorē vocant, vt in historia vnionis Tyridatis regis Armenorum, ac in hist. ciuitem S. Greg. archiep. illuminatoris Armeniæ in m. cod. Vat. de quo etiam fit mentio in martyrolog. Rom. die 30. Septemb. Haruit, vbi Baron. in notis, tempore Constantini magni imp. & S. Siluestri pape.  
<sup>f</sup> Tyridates, qui ad fidem conuersus, Constantinum imp. de sua conuersione lætatum adit. Niceph. lib. 8. cap. 33. in fine.

confirmate acta eorum ad vnitatem, & ad facta istorum imperatorum nos inclinamus; modo etiam quidquid Spiritus sanctus illustrauerit sanctam Synodum, promptissimus ei obedire.

Scripta 25. mensis Iulii, anno Domini 1438.

Num. V.  
• Nobilis familia Ianuensis reip. pro qua consulata & regimine fungebatur Paulus Imperialis in Caffa, olim Theodosia, & in Gazaria imperio, olim Taurica Cherfoneso. Erant sub eiusdem reipublicae dominio aliae etiam regiones & orientis insulae, inter quas & Chios, quam a praefata reip. primam, demum ab imperatoribus, Iustiniana nobilis Ianuensis familia, pleno ac perpetuo iure obtinuit, in qua & ego eiusdem familiaris natus sum. Iam vero occulto Dei iudicio Turcae subiacent.

*Litterae Pauli Imperialis consulis & regentis ciuitatis Caffae & totius maris Maioris, imperii Gazariae, ad summum pontificem.*

**E**T SI haec gentis Armenae reductio multis ante temporibus tentata esset, sanctissime & beatissime pater, vererebar attamen tantam rem & tam arduam aggredi, in qua vires ingenii mei vix sufficere posse arbitrabar: statueramque potius subsistere, quam per vias incognitas ambulare; sed tua sanctitate confusus, cuius merita exposcunt, ut sub eius vexillo singulare & perspicuum sidus eluceat, gaudeatque sancta mater ecclesia, ut in hoc tuo tempore vniionis & sanctitatis nouis fulgoribus illustretur: suscepi vires & animum, adhortatus me ipsum, & rem ipsam amplecti institui maxima cum sollicitudine & opera, in qua diabolico instinctu & variis tentationibus praecedentibus multiplices stimulos perpepsi sumus; ita ut cuncta quasi nostro voto aduersantia fuerint, & de tentata opera plerumque desperauimus: tamen cooperante illo summo rerum opifice, ac tuam sanctitatem propitius respiciente, sub qua datum est vnitatem fidei figillari, bonum & perfectum exitum sortiti sumus, & cum sudore ac maximis vigiliis hoc tantum opus per cuncta saecula ex hominum memoria non delendum tuae sanctitati dedicaui.

Gaudeo, pater beatissime, hanc vnitatem temporibus tuae sanctitatis suscitatae, quae tuorum praedecessorum tempore obdormierat. Quid enim potuit beatius accidere, ac Deo & toti populo Christiano acceptius, quam haec singularis reductio Armenorum? Sed aduertendum est, propter tuam sanctimoniam summis laboribus & incommodis, quibus circumuentus fuisti, esse concessum, ut videant qui ecclesiam persequuntur, non esse humana ista opera tua, sed diuina magis, atque ex Deo manantia. Ego enim dum summum rerum auctorem ad te oculos direxisse cognoui, teque in reuerentiam beatitudinem & gloriam consti-

tuisse, ausus sum tuorum seruitiorum cupere fieri particeps, & tuæ sanctitatis fiducia confusus, apud eandem non dubito illam tuam Romanam senatoriam dignitatem impetrare, quam impræsentiarum humiliter posco & requiro, non tantum pro meritis meis, pro quibus & maioribus summo Deo & sanctitati tuæ, quæ vices eius in terris gerit, obnoxius sum; sed vt aperte intueantur qui cultum veræ religionis colunt, præmia bonos & Christicolos fideles manere, & tali ac simili spe ceteri prouocentur ad sanctæ Romanæ ecclesiæ augmentum ac fauorem. Accipe igitur, sanctissime pater, legatos Armenorum, quos ad pedes tuæ sanctitatis mittimus cum amplo sui patriarchæ & vniuersalis eorundem nationis mandato ac bailia, ita vt maiorem concedi nullo pacto posse intelligamus: quam regratiari fecimus, & tuæ sanctitati transmittere opportunum esse arbitrati sumus. Hos enim conducit vicarius frater Iacobus, qui sicut huius tanti luminis & reductionis fuit principalis coadiutor, opportunum fuit, vt sit & ipse conductor. Nam corda ipsorum Armenorum ita in manibus habet, quod nusquam absque ipso accedere possent. Hic enim vir deuotus explicabit cetera latius sanctitati tuæ, quæ ego, ne inepta oratione sanctissimas aures tuas offenderem, prætermittam.

In reliquis episcopatum huius ciuitatis tangentibus, quæ sanctitas tua literis mandauit, executioni tradidi; & si prædictus vicarius tuus & ego in aliquibus subsistere decreuimus, bona causa moti id egimus, expectantes deinceps in ipso negotio, quod tua sanctitas iusserit faciendum. Valeat tua sanctitas felix, ad cuius pedes humillime me commendo.

Ex Caffa die prima Decembris, anno Domini 1438.

Eiusdem sanctitatis ad genua prouolutus Paulus imperialis cōsul Caffæ, & totius maris Maioris imperii Gazariæ.

*Quid vero Paulus Imperialis in gratiam religiosi obsequii & reductionis Armenorum, ea reductione peracta, ab apostolica sede obtinuerit, habetur in sequentibus literis Eugenii ad eundem Paulum.*

*Eugenius, &c. Dilecto filio nobili viro Paulo Imperiali ciui Ianuensi scutifero nostro honoris & comiti palatino salutem, &c.*

Concil. Tom. 33.

Zzz ij

Laudata nobis a fide dignis virtus tua, & exhibitæ tum alias, tum proximis temporibus in maximo Christianæ fidei negotio, & vnionis Græcorum & Armenorum faciendæ atque conseruandæ, operationes tuæ nos inducunt, vt te ac per te descendentes ac posteros tuos specialibus gratiis & fauoribus prosequamur. Volentes itaque te, qui præter supradicta deuotionis & magnæ pietatis opera, etiam maiora in dies exhibere dispositus es & paratus, fauore prosequi gratiæ specialis, vt & ardentiori fidelitate & deuotione erga nos & Romanam ecclesiam animeris, quod te maiorum honorum prærogatiua sublatum esse cognoueris, te nostrum honoris scutiferum\*, & te pariter ac natos tuos masculos dumtaxat ex tuo corpore legitime natos & nascituros, comites palatinos auctoritate apostolica tenore præsentium facimus & creamus, & sic deinceps perpetuo & ab omnibus censeri pariter & nominari volumus, ac gaudere posse & debere omnibus & singulis emolumentis, commodis, honoribus, immunitatibus, priuilegiis & exemptionibus, quæ Lateranensibus palatinis comitibus a sede apostolica concedi consueuerunt. Volumus autem, quod tuo & natorum tuorum nominibus, in manibus venerabilis fratris nostri Angeli episcopi Traguriensis in officio camerariatus nostri locumtenentis, solitum fidelitatis debitæ præstes in forma consueta iuramentum. Datum Florentiæ anno, &c. 1440. 17. Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno decimo.

\* De priuilegiis olim scutiferorum honoris, & comitum palatinorum meminit Leo X. in consilio Romano pontificis.

*Mandato itaque patriarchæ Armenorum & literis Pauli imperialis regentis Cassiæ exhibitis, Armenorum unio secuta est, & decretum conditum: sic enim ait Andreas de sancta Cruce.*

Num. VI.

Literis exhibitis sacre Synodo, reuerendissimis cardinalibus Ostiensi, sanctæ Crucis & sanctæ Sabinæ, ac doctoribus pluribus per summum pontificem, sacra approbante Synodo, deputatis, & incessanter quasi diebus singulis in apostolico palatio cum Armenis præfatis conuenientibus, institutis sacre Romanæ ecclesiæ adeo instructi sunt oratores prædicti, quod infra scripti decreti fidem recognoscere religiosissime suscepere, quod in cathedrali ecclesia 22. Nouembris publica in sessione synodica firmatum extitit: cuius decreti per episcopi Paduani organum promulgati forma hæc est.

Prosequitur Andreas hoc decretum pro Armenis, verum symbolum Constantinopolitanum & symbolum sancti Athanasii in eo contenta integra non refert, sed tantum prima verba innuit: similiter nec refert acceptationem decreti coram Synodo factam per oratores Armenorum, quæ omnia, sicut & ipsum decretum una cum decreto pro Græcis, inseruntur integre in decreto pro Iacobinis infra recensendo: ideo hoc etiam decretum pro Armenis ibi tamquam in proprio loco reliquimus, ibique apposimus quæ in eo duximus adnotanda.

Iam igitur res gestas in hoc sancto Concilio pro Iacobinis ex Vaticano codice, ipsumque decretum pro Iacobinis cum insertione decretorum pro Græcis & Armenis hic subiicimus.

Literæ Ioannis patriarchæ Iacobinorum <sup>a</sup> ad Eugenium IV.  
summum pontificem.

Ioannes humilis seruus seruorum Christi, minister sedis sancti Marci, magnæ scilicet Alexandriae & totius Egypti, Libya, Ethiopia, Pentapoleos occidentalis, Africa, totiusque prædicationis apostoli Marci, humilis dico in suis peccatis, petita prius venia & absolutione ab ipso Domino, usque ad terræ pauimentum coram te, iustissime ac sanctissime pater, inclino, perfectio sacerdotii, pastor optime, honestatis ac sanctitatis princeps, piissime ductor eorum qui in via huius peregrinationis incedunt, qui studio ac sanctitate ceteris viam salutis ostendis, domine Eugeni papa magnæ urbis Romæ, omnium ecclesiarum Christianarum apostolice pastor, principum Christi sedium unice, venerande, patrum ac sacerdotum princeps <sup>b</sup>, & medice languentium animarum.

Num. VII.  
<sup>a</sup> De Iacobinorum, sive Iacobitarum natione, regionibus, & ritu, vide Thomam Carmelitana de procur. salute omnium gentium lib. 7. cap. 14.

<sup>b</sup> Alluditur loc. Iliax 1. Nolite confiteri me principem, quia non sum medicus: significans venturum Christum Dominum principem populi, & medicum languentium.

**C**VSTODIAT Deus omne suum ouile tua oratione ac ministerio, dirigatque illud lumine tuæ similitudinis, quemadmodum & quondam magos stella direxit, nec recedat a disciplina tua, imo seruet tua præcepta omnia qui doctrinam tuam auditorus est. Confirmet præterea Deus sedem tuam, multiplicetque honores sacerdotum, optime pater. Post hæc refero tuæ magnæ sanctitati, sacratissimam ac honoratissimam scripturam tuam per benedictum filium tuum & honoratum sacerdotem fratrem <sup>c</sup> Albertum ad manus meas peruenisse. Erant autem literæ illæ veneratissime dignissimæ in iis quæ continebant. Attulit quoque sua

<sup>c</sup> De quo iterum infra fit mentio in his literis, & in expositione abbatis Andree sequenti num. 1.

lectio nobis causam cogitandi de rebus optimis atque maximis. Quanta autem earum sanctitas fuerit, ex hoc facile percipi potest. Nam & aperta mox mirum in modum suauissimum odorem effuderunt, ostenderuntque profecto manum illam fuisse benedictam, cuius digiti tam venerandas figuras descripserant. Versas igitur per quosdam spectatissimos Venetos tuas, quantum fieri poterat, ex Latino in linguam Syrorum, ego & reliqui fratres mei coepiscopi, cum benedictis filiis ac fidelibus sacerdotibus, honoratisque diaconibus in ecclesia Dei genitricis Mariae, vico cognominato Zoile, ac stante toto populo legi mandauimus, nec facile, decus omnium sacerdotum & pater, tuae sanctitati significare possumus, quanta ex lectione literarum laetitia animis omnium illorum accesserit: maximam autem illam fuisse, laudantium & exultantium populorum voces ostenderunt. Fuit ille dies nobis permaximus, & is certe, de quo Propheta praedixerat:

*Fol. 117.*

*Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Nec illud certe efficere potuimus, quod illic laetitiae lacrymae quoque mixtae non fuerint, precantibus omnibus, ut Deus propitiatus mentes nostras & cogitationes emundet, educatque de tenebris in illud clarissimum ac indeficiens lumen.

Post itaque glorificationem diuinam, quam sacerdotes Christi ac totus ille Christianorum cœtus omnipotenti Deo reddiderant, accesserunt ad laudes tuae sanctitatis & gratiarum actiones, effudimusque preces ad Dominum, ut te sanctissimum patrem ac communem omnium Christianorum salutem integram seruet, quos sic tuis sanctissimis eruditionibus ipse Deus instituit, ut sint certissima fidei venerantes, fiantque parati ad unionem & pacem, & tandem ipse filius Virginis nos omnes curiae caelesti adscribat, aggregetque numero beatorum. Huic etiam alacritati atque deuotioni accessit aliud quoque gratiae & benedictionis genus. Idem enim benedictus filius venerabilis Albertus reddidit mihi duas imagines & <sup>2</sup> Ciambulotum nomine tuae sanctitatis, quae non aliter quam e caelo missa diuina benedictione me suscepisse putavi. Ceterum quaedam eidem patri commisimus, quae literis mandare non possumus. Sufficiet itaque ipse quidquid iis lite-

<sup>2</sup> Latina deficiencia exprimit, quod vulgo dicitur Ciambelotto, Latine Capripilium, forte illud nobilitus, quod ex textura varia vulgo a onde, Latine undulatum dicitur, & in Europa tantum textitur, atque ad vestes tam profanas, quam sacras aptissimum, ac praefectum coloratum.

ris deest, cui referenti tua beatitudo plenam fidem dare dignetur.

Extremo, quoniam ego humilis & pauper gressu corporis ad tuam sanctitatem accedere minime possum, mitto venerabilem fratrem Andream abbatem sancti Antonii, religione & moribus non mediocriter institutum. Is ea conditione a me discessit, ut priuatim ac publice plurima habeat tuæ sanctitati referre. Ambobus igitur iis benedictis filiis nuntiantibus indubitata fidem in omnibus tua beatitudo dare dignetur, quam ad tempora diuturna pro vtilitate ac aggregatione Christianorum conseruare dignetur Deus omnipotens. Datum Chayren. duodecima Septembris, sexto millenario nongentesimo quadragesimo secundum Græcos, secundum vero Iacobitas, millesimo centesimo quinquagesimosextimo a tempore martyrum<sup>a</sup>; a computatione incarnationis Domini 1440. *Hæc patriarcha.*

Die Iouis 31. & vltima mensis Augusti de mane hora 12. vel quasi, qua hora, quæ pro generali congregatione adscripta fuerat, sanctissimo domino nostro Eugenio præsentante, ac reuerendissimis reuerendisque venerabilibus patribus & dominis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, doctoribus & magistris, tam secularibus quam regularibus, hoc sacrum Concilium repræsentantibus congregatis, comparuit præfatus dominus abbas Andreas: ac præmissis solennitatibus, in idiomate Syrorum proposuit in hac verborum forma, prout postmodum in sermone Latino per venerabilem virum dominum Blondum præfati domini nostri papæ secretarium interpretatum fuerat de idiomate Italico in<sup>b</sup> Latinum, ut sequitur.

Cogitanti altam maiestatem tuam & meam humilitatem, pater beatissime, tantus suboritur pauor, ut si aliqua errauero in dicendis paucis, primum id mihi indulgeas deprecor: nil enim aliud quam tremor apprehendere potest hominem me; puluis sum & cinis coram te Deo in terris verba faciens. Es namque Deus in terris, & Christus, & eius vicarius: es Petri successor, & pater, caput & doctor ecclesiæ vniuersalis, cui datæ sunt clauæ claudendi, & paradysum cuicumque volueris referandi. Tu princeps regum, & maximus es magistrorum. Quæ omnia,

Num. VIII.

<sup>a</sup> Peculiaris hæc est & antiqua Alexandrinorum fidelium & totius Egypti chronologia, vta sanctis martyribus numerent annos: etenim horrescentes nomen Diocletiani imperat. Christianorum hostis in annorum numeratione quam ille ab exordio sui imperii faciendam præscripsit, recensere, ipsi ab eiusdem imp. anno primo itidem numerum deducunt, loco nominis persecutoris ecclesiæ Diocletiani, sanctos martyres posuerunt. Vide Baron. tom. 6. in fine, vbi de legatione Alexandrinorum num.

<sup>b</sup> Itaque de idiomate Syro in Italico per aliquem eius idiomatis peritum, & de Italico in Latinum per Blondum.



& similia considerans, expauesco tuam alloqui sanctitatem, cum maxime ante oculos mentis proponam non solum potestatem tuam, sed sapientiam Latinorum, qui in studio sapientiae diuinarum rerum & disciplinae Iesu Christi, quod a principio salutis fidelium imbibierunt, continuo in haec tempora exercitati, ea nunc tenent & sentiunt, quae beatissimi apostolorum principes Petrus & Paulus illis a principio tradiderunt.

Quae autem ecclesiae huiusmodi sapientia & disciplina aliquando priuata prima non tenuerunt fundamenta, & a Romana ecclesia matre & magistra separatae fuerunt, eas permisit Deus gentibus in opprobrium, & infidelibus in rapinam, prout euidenter cernere datur in Graecis & Armenis, & pariter in nobis Aethiopibus Iacobitis, postquam anno nongentesimo a vobis fuimus separati. Consolamur vero, & mœstitiæ nostrae spem ea ratione amplam assumimus, quod qui tibi concessit Graecos & Armenos in catholicae fidei vnionem latius vnire, quique tibi inspirauit, vt nos per dilectum filium tuum Albertum ordinis Minorum ad vnionem quaerendam inuitares, idem piissimus Deus noster suam nobis elargietur benedictionem, vt eadem tecum in catholica Dei ecclesia sentiamus: quod quidem perficietur. Ego, & vt tu vides, ætate iam grauis, e domo sum profectus ad tuæ sanctitatis pedes praesentiamque, superatis terræ & maris periculis, peruenturus, reuerendissimi mei patriarchae orator ac indignissimus locumtenens, quemadmodum constare videbis in mandatis<sup>a</sup>, quae tibi ab eodem patriarcha exhibeo, quemadmodum poterit enarrare idem frater Albertus, qui multa mecum pericula, multos subiit labores pro hac dignissima vnione fidei Christianae.

<sup>a</sup> Literis scilicet patriarchae, de quibus supra.

*Huius legationis occasione Eugenius pontifex in publica sessione constitutionem edidit, de qua occasione diffiniendorum dogmatum facta est mentio inter patres Concilii Tridentini, vt legitur tom. I. actorum eiusdem Concilii sub Paulo III. quae in arce sancti Angeli asseruantur, his verbis.*

xxvi. Februarii 1547. cum episcopus Clodiensis in congregatione generali excitasset difficultatem de bulla vnionis Iacobitarum, quasi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, & probaret hoc ipsum ex data bulla 1441.  
cum

cum Concilium terminatum sit anno millesimo quadringentesimo trigessimono, quo anno consignata est bulla vnionis Græcorum.

Cardinalis a Monte dixit, hallucinari eos qui putant finem Concilii Florentini fuisse vnionem Græcorum, cum longe post, per tres scilicet fere annos perdurauerit, vsque videlicet ad annum Domini 1442. quo anno vi. Kalendaras Maii celebrata sessione, Romam translatum fuit. Patere id ex diuersis constitutionibus medio illo tempore editis, quæ in actis Concilii habentur, & annotantur<sup>a</sup> in sumuario Concilii Basileensis per Augustinum Patri-  
\* Quod manu-  
scripti ex-  
tare in biblio-  
theca Vatica-  
na supra dixi-  
mus.

cium canonicum Senensem, bullam Iacobitarum manu Eugenii & cardinalium subscriptam se propriis oculis vidisse, vna cum aliis actis eiusdem Concilii, quæ in arce sancti Angeli asservantur. Concilium Florentinum, quod habetur 2. tomo Conciliorum, translatum fuisse ex Græco; Græcos autem, cum facta vnione e Florentia discessissent, scriptum non retulisse, nisi quod ad illud vsque tempus gestum fuerat. At Eugenium mansisse Florentiæ, & cum videret patres ægre ibi diutius commorari, transfutisse Romam Concilium decima quinta die post eius reditum prosequendum in ecclesia Lateranensi.

XIII. Martii cum eadem difficultatem attigisset episcopus Castelli maris, eadem dixit cardinalis sanctæ Crucis, & addidit, bullam Iacobitarum fuisse editam in publica sessione, præsentibus in particulari cardinalibus Bessarione & Rutheno. Hæc ibi.

*Extat in eadem arce sancti Angeli copia eiusdem bullæ cum secretarii Concilii Tridentini subscriptione, his verbis.*

Hoc præsens transumptum collationatum est fideliter, & concordat cum originali libello, seu bulla plumbata Eugenii papæ IV. cum signo & subscriptionibus supra dictis. Quæ bulla originalis est apud reuerendissimos & illustrissimos dominos legatos sacrosancti œcumenici Concilii Tridentini. Ideo ego Angelus Massarellus de sancto Seuerino agri Piceni, ipsius sacri Concilii secretarius, hic manu propria subscripsi in fidem & testimonium præmissorum.

Ita est Angelus Massarellus sacri Concilii secretarius.

*Ceterum hæc bulla, seu decretum pro Iacobinis, cum insertione decretorum pro Græcis & Armenis hic subiicitur ex manuscriptis codicibus Vaticanis, bullario Romano, & ex supradicta copia, ac etiam ex copia transmissa ex conuentu fratrum ordinis Minorum sancti Francisci Fesularum prope Florentiam, transumpta ex originali bulla, quæ cum subscriptionibus manu Eugenii papæ & cardinalium ibi asseruatur. Extat & in codice Vaticano copia eiusdem bullæ pro Iacobinis, transumpta de mandato & auctoritate apostolica Leonis papæ X.*

### DECRETVM PRO IACOBINIS.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Num. IX.

**C**ANTATE Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hæc in vniuersa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui sanctus Israel. Cantare profecto & exultare in Domino decet ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia & gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare & benedicere Saluatorem nostrum nos conuenit, qui sanctam ecclesiam suam nouis quotidie accumulatur incrementis. Quamquam autem in populum Christianum sua beneficia omni tempore multa & magna sint, quæ luce clarius erga nos suam immensam caritatem ostendunt; si tamen accurate inspicimus, quæ & quanta his diebus nouissimis diuina clementia facere dignata est, iudicare certe poterimus, hoc nostro tempore plura ac maiora quam a multis retroactis temporibus suæ caritatis munera extitisse. Ecce enim nondum exacto triennio in hac sancta œcumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum vniorem Dominus noster Iesus Christus pro sua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium tam copiose effecit; vnde actum est, vt totus fere oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parua septemtrionis portio post longa dissidia cum sancta Romana ecclesia in eodem fidei & caritatis vinculo

iam conuenerint. Primo etenim Græci, & ii qui subsunt quatuor patriarchalibus sedibus, multas gentes nationesque & idiomatica continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens; hodie vero Iacobini magni etiam per Ægyptum populi, sanctæ sedi apostolicæ vniti sunt.

Et cum nihil Saluatori nostro Domino nostro Iesu Christo gratius sit, quam mutua inter homines caritas, nihilque nomini suo gloriosius atque ecclesiæ vtilius esse possit, quam vt Christiani, omni inter se sublato dissidio, in eadem simul fidei puritate conueniant, merito nos omnes & cantare præ gaudio, & iubilare in Domino debemus, quos, vt tantam Christianæ fidei magnificentiam diebus nostris videremus, diuina miseratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate annuntiamus magnalia hæc in vniuersa Christianorum terra, vt sicut nos pro gloria Dei & exaltatione ecclesiæ gaudio inenarrabili repleti sumus, ita & alios tantæ lætitiæ participes faciamus, vt omnes vno ore magnificemus & glorificemus Deum, & suæ maiestati, prout dignum est, magnas quotidianasque gratias agamus pro tot tantisque mirabilibus beneficiis hac ætate ecclesiæ suæ sanctæ collatis.

Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in cælis expectat, sed & apud homines amplam gloriam laudemque meretur; venerabilem fratrem nostrum Ioannem Iacobinorum patriarcham, huius sanctæ vnionis cupidissimum, a nobis & tota ecclesia merito laudandum & extollendum, ac communi omnium Christianorum fauore cum tota sua gente dignum iudicamus. Is enim a nobis per nostrum oratorem ac literas excitatus, vt ad nos & hanc sanctam Synodum legationem mitteret, & se ac suam gentem in eadem cum ecclesia Romana fide vniret; dilectum filium Andream natione Ægyptium abbatem monasterii sancti Antonii apud Ægyptum, in quo & habitasse, & mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, religione & moribus non mediocriter institutum, ad nos & ipsam Synodum destinavit, cui deuotionis zelo accensus imposuit atque commisit, vt fidei doctrinam, quam sancta Romana ecclesia tenet & prædicat, nomine ipsius patriarchæ & suorum Iacobinorum reuerenter susciperet, deferendam postea

per eum ad ipsum patriarcham & Iacobinos, vt & ipsi eandem agnoscerent, ratamque haberent, & in suis regionibus prædicarent.

Nos igitur, quibus vice Domini commissum est pascere oves Christi, ipsum Andream abbatem per nonnullos huius tam sacri Concilii insignes viros, super articulis fidei & sacramentis ecclesiæ, & quibusque ad salutem spectantibus, diligenter examinari fecimus; & tandem, quantum visum est fore necessarium, exposita eidem abbati sanctæ Romanæ ecclesiæ fide catholica, & per ipsum humiliter acceptata, hanc quæ sequitur, veram necessariamque doctrinam hodie in hac solenni sessione, sacro approbante<sup>a</sup> œcumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.

<sup>a</sup> De hoc modo loquendi, vide quæ diximus in §. nota circa medium, ad primâ colat. par. 2.

In primis igitur sacrosancta Romana ecclesia, Domini & Saluatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur & prædicat, vnum verum Deum omnipotentem, incommutabilem & æternum, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum in essentia, trinum in personis. Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedentem. Patrem non esse Filium, aut Spiritum sanctum; Filium non esse Patrem, aut Spiritum sanctum; Spiritum sanctum non esse Patrem, aut Filium: sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus sanctus simul de Patre procedit & Filio. Hæ tres personæ sunt vnus Deus, & non tres Dii, quia trium est vna substantia, vna essentia, vna natura, vna diuinitas, vna immensitas, vna æternitas, omniaque sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Propter hanc vnitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto: Filius totus est in Patre, totus in Spiritu sancto: Spiritus sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Æternum quippe & sine initio est, quod Filius de Patre extitit; & æternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se, & est principium sine principio. Filius quidquid

est aut habet, habet a Patre, & est principium de principio. Spiritus sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre, simul & Filio. Sed Pater & Filius non duo principia Spiritus sancti, sed vnum principium, sicut Pater & Filius & Spiritus sanctus non tria principia creaturæ, sed vnum principium.

Quoscumque ergo aduersa & contraria sentientes damnat, reprobat & anathematizat, & a Christi corpore, quod est ecclesia, alienos esse denuntiat. Hinc damnat Sabellium personas confundentem, & ipsarum distinctiōnem realem penitus auferentem. Damnatur Arianos, Eunomianos, Macedonianos, solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem & Spiritum sanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnatur & quoscumque alios, gradus seu inæqualitatem in Trinitate facientes.

Firmissime credit, profitetur & prædicat, vnum verum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse omnium visibilibus & inuisibilibus creatorem, qui quando voluit, bonitate sua vniuersas tam spirituales quam corporales condidit creaturas, bonas quidem, quia a summo bono factæ sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt; nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Vnum atque eundem Deum veteris & noui testamenti, hoc est legis & prophetarum atque euangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, vtriusque testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit & veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; duodecim prophetis minoribus, id est, Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michæa, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggæo, Zacharia, Malachia; duobus Machabæorum; quatuor euangelis, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; quatuordecim epistolis Pauli, ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duabus ad Thessalonicenses,

duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iacobi, vna Iudæ, Actibus apostolorum, & Apocalypsi Ioannis.

Præterea Manichæorum anathematizat infaniam, qui duo prima principia posuerunt, vnum visibilem, aliud inuisibilem; & alium noui testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerunt.

Firmiter credit, profitetur & prædicat, vnam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem & coæternum in plenitudine temporis, quam diuini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato vtero Mariæ virginis assumpsisse, & sibi in vnitatem personæ copulasse tanta vnitatem, vt quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum; & quidquid est hominis, non sit a deitate diuisum; fitque vnus & idem indiuisus, vtraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus & homo, Dei filius & hominis filius, æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Immortalis & æternus ex natura diuinitatis, passibilis & temporalis ex conditione assumptæ humanitatis.

Firmiter credit, profitetur & prædicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex virgine vere natum, vere passum, vere mortuum & sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in cælum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine sæculorum ad viuos mortuosque iudicandos.

Anathematizat autem, execratur & damnat omnem hæresim contraria sapientem. Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum, omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes vnionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse negauerunt, ipsum purum hominem confitentes, qui diuinæ gratiæ participatione maiori, quam sanctioris vitæ merito suscepisset, diuinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem

penitus sustulerunt. Nec non Valentinum asserentem, Dei filium nihil de virginē matre cepisse, sed corpus cæleste sumpsisse, atque ita transisse per vterum virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. Arium etiam, qui asserens, corpus ex virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animæ fuisse deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, solam posuit animam sensitivam, sed deitatem Verbi vicem rationalis animæ tenuisse. Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam, & ob id duas esse in Christo personas, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam extitisse, & propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse. Nam secundum hanc blasphemiam, non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne: hoc est, non Dei filius homo factus est, sed magis Dei filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, execratur & damnat Eutychem archimandritam, qui cum intelligeret iuxta Nestorii blasphemiam, veritatem incarnationis excludi, & propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita esset humanitas, ut deitatis & humanitatis vna esset eademque persona, ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarum, unitatem personæ, sicut deitatis & humanitatis in Christo vnam posuit esse personam, ita vnam asseruit esse naturam, volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in vnam naturam in assumptione transisse, maxima blasphemiam & impietate concedens, aut humanitatem in deitatem, aut deitatem in humanitatem esse conuersam. Anathematizat etiam, execratur & damnat Macarium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate & personæ unitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter oberravit, dicens in Christo vtriusque naturæ vnam fuisse operationem, vnamque voluntatem. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat sacrosancta Romana ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates, duasque operationes.



<sup>a</sup> Concordat  
Conc. Trid.  
sess. 5. de pec-  
cato orig. his  
verbis: Si quis  
Adæ peccati  
quod origine  
vniuersum est, &  
propagatione  
non imitatione  
transmissum,  
omnibus in-  
est vnicuique  
proprium, vel  
per humanæ  
naturæ vires,  
vel per aliud  
remedium af-  
ferit tolli, quã  
per meritum  
vnius media-  
toris Domini  
nostri Iesu  
Christi, ana-  
thema sit.  
Concordat &  
transumptum  
huius constit.  
in bull. Rom.

Firmiter credit, profitetur & docet, neminem vnquam ex viro feminaque conceptum, a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per <sup>a</sup> meritum mediatoris Dei & hominum Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus & mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit, & regni cælestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, referavit: quem aliquando venturum omnia veteris testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, ceremoniæ præfigurarunt.

Firmiter credit, profitetur & docet, legalia veteris testamenti, seu Mosaicæ legis, quæ diuiduntur in ceremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet diuino cultui illa ætate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adueniente cessasse, & noui testamenti sacramenta cœpisse. Quemcumque etiam post passionem in legalibus spem ponentem, & illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis saluare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, a Christi passione vsque ad promulgatum euangelium illa potuisse seruari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum euangelium, sine interitu salutis æternæ, asserit non posse seruari.

Omnes ergo post illud tempus circumcisionis & sabbati, reliquorumque legalium obseruatores, alienos a Christi fide denuntiat, & salutis æternæ minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus respiciant. Omnibus igitur, qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocumque tempore, vel ante, vel post baptismum, a circumcisione cessandum; quoniam siue quis in ea spem ponat, siue non, sine interitu salutis æternæ obseruari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta aut octuaginta dies, seu aliud tempus iuxta quorundam obseruantiam, sacrum baptismum differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri, ita  
tamen

tamen, quod mortis imminente periculo mox sine vlla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma ecclesiæ, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.

Firmiter credit, profitetur & prædicat omnem creaturam Dei bonam, nihilque reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; quia iuxta verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem: illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum & immundorum differentiam ad ceremonialia asserit pertinere, quæ surgente euangelio transferunt, & efficacia esse desierunt. Illam etiam apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudæis atque gentilibus, qui antea diuersis ceremoniis moribusque viuebant, vna surgebat ecclesia, vt cum Iudæis etiam gentiles aliquid communiter obseruarent, & in vnum Dei cultum fidemque conueniendi præberetur occasio, & dissensionis materia tolleretur, cum Iudæis propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum abominabilia viderentur, & esu immolatitii poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros: vbi autem eo vsque propagata est Christiana religio, vt nullus in ea Iudæus carnalis appareat, sed omnes ad ecclesiam transeuntes, in eosdem ritus euangelii ceremoniasque conueniant, credentes omnia munda mundis, illius apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessauit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana, nec inter animalia discernendum per quemcumque, siue virum, siue mulierem, & quocumque genere mortis intereant; quamuis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & ecclesiastica disciplina possint & debeant multa non negata dimitti, quia iuxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.

Firmiter credit, profitetur & prædicat, nullos intra catholicam ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Iudæos aut hæreticos atque schismaticos, æternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis eius, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati: tantumque valere ecclesia-

stici corporis vnitatem, vt solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant, & ieiunia, eleemosynæ ac cetera pietatis officia & exercitia militiæ Christianæ præmia æterna parturiant. Neminemque, quantumcumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse saluari, nisi in catholice ecclesiæ gremio & vnitatem permanferit.

Amplectitur autem, approbat & suscipit sanctam Nicænam Synodum trecentorum decem & octo patrum, temporibus beatissimi Siluestri prædecessoris nostri & magni Constantini piissimi principis congregatam, in qua impia hæresis Ariana cum suo auctore damnata est, & definitum est, Filium Dei Patri esse consubstantialem & coæternum.

Amplectitur etiam, approbat & suscipit sanctam Constantinopolitanam Synodum centum quinquaginta patrum, beatissimi Damasi prædecessoris nostri & Theodosii senioris tempore conuocatam, quæ ipsum Macedonii anathematizauit errorem, qui Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam assererat. Quod damnant, damnat; quod approbant, approbat, & per omnia vult ibidem definita, illæsa & inuiolata subsistere.

Amplectitur etiam, approbat & suscipit sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum patrum, quæ tertia est in ordine vniuersalium Synodorum, sub beatissimo Cælestino prædecessore nostro & Theodosio iuniore conuocatam, in qua impii Nestorii est damnata blasphemiam, definitumque est, Domini nostri Iesu Christi veri Dei & veri hominis vnã esse personam; & beatam Mariam semper virginem non solum *Χειροτονου*, sed etiam *Θεοτοκου*; hoc est, non tantum hominis, sed Dei genitricem ab omni ecclesia prædicandam.

Damnat autem, anathematizat & respuit impiam secundam Ephesinam Synodum sub beatissimo Leone prædecessore nostro & præfato principe congregatam, in qua Dioscorus Alexandrinus antistes, Eutychis hæresiarchæ defensor, & sancti Flauiani Constantinopolitani pontificis impius persecutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychianæ impietatis arte & minis attraxit.

Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam Cal-

chedonensem Synodum, quartam in ordine vniuersalium Synodorum, sexcentorum & triginta patrum, temporibus præfati beatissimi Leonis prædecessoris nostri & Marciani principis celebratam, in qua hæresis Eutythiana cum suo auctore Eutyche & Dioscoro defensore damnata est, & diffinitum est, Dominum nostrum Iesum Christum esse verum Deum & verum hominem, & in vna eademque persona diuinam humanamque naturas integras, inuiolatas, incorruptas, inconfusas distinctasque mansisse, humanitate agente quæ hominis sunt, & deitate quæ Dei: quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos.

Amplectitur etiam, approbat & suscipit sanctam quintam Synodum secundam Constantinopolitanam, tempore beatissimi Vigilii prædecessoris nostri & Iustiniani principis celebratam, in qua sacri Calchedonensis Concilii diffinitio de duabus naturis & vna persona Christi renouata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de dæmonum aliorumque damnatorum poenitentia & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Amplectitur etiam, approbat & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum, centum & quinquaginta patrum, quæ sexta est in ordine vniuersalium Synodorum, temporibus beatissimi Agathonis prædecessoris nostri, & Constantini IV. huius nominis principis congregatam, in qua Macarii Antiocheni & sectatorum hæresis condemnata est, & diffinitum est, in Domino nostro Iesu Christo duas esse perfectas integrasque naturas & duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset vna eademque persona, cui vtriusque naturæ competere actiones, deitate agente quæ Dei sunt, & humanitate quæ hominis sunt.

Amplectitur etiam, veneratur & suscipit omnes alias vniuersales Synodos auctoritate Romani pontificis legitime congregatas ac celebratas & confirmatas, & præsertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum & Armenorum sanctissima vnio consummata est, & multæ circa vtramque vnionem saluberrimæ diffinitiones editæ sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur, quorum tenor in hunc modum sequitur.

*Concil. Tom. 33.*

Bbbb ij

## DECRETVM PRO GRÆCIS.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.*

\* Hoc decre-  
tum pro Græ-  
cis quamuis  
supra in fin. 2.  
part. relatum  
sit, hic tamen  
ne series decre-  
ti pro Iacobi-  
nis interrump-  
tatur, inta-  
ctum reliqui-  
mus.

*Consentiente<sup>a</sup> ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Ioan-  
ne Palæologo Romæorum imperatore illustri, & locatenenti-  
bus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, & cete-  
ris orientalem ecclesiam repræsentantibus.*

**L**ÆTENTVR cæli, & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque diuidebat ecclesiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortissimo caritatis & pacis vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente, postque longam mœroris nebulam & dissidii diurni atram ingentemque caliginem, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater ecclesia, quæ filios suos hæctenus inuicem dissidentes, iam videt in vnitatem pacemque rediisse: & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri catholicæ ecclesiæ collatentur. Ecce enim occidentales orientalesque patres post longissimum dissensionis atque discordiæ tempus, se maris & terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum œcumenicum Concilium, desiderio sacratissimæ vnionis & antiquæ caritatis reintegrandæ gratia, læti alacresque conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt: post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam sanctissimamque vnionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantæ diuinæ miseracionis diuitias non obstupescat? Cuius vel ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi

Quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tamquam ab vno principio & vnica spiratione procedit, declarantes, quod id, quod sancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est.

Diffinimus insuper explicationem illorum verborum, Filioque, veritatis declarandæ gratia & imminente tunc necessitate licite & rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ ecclesiæ siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem.

Item si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omillis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & vt a pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est; pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

gratiarum actio Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponsæ tuæ catholicæ ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstraisti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem diuinumque munus nobis Deus largitus est. Oculis videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiverunt.

Conuenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta œcumenica Synodo, magno studio inuicem vsi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex diuinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium & occidentalium; aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis; Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tamquam ex duobus principiis & duabus spirationibus: ideo abstinerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat & Filio. Latini vero asseruerunt, non se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons & principium totius deitatis, Filii scilicet & Spiritus sancti, aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, siue quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed vnum tantum asserant esse principium vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hætenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infra scriptam sanctam & Deo amabilem eodem sensu eademque mente vnionem vnanimiter concordarunt & consenserunt.

In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro approbante vniuersali Florentino Concilio diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur.

Item diffinimus, sanctam apostolicam sedem & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesie caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.

Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum, vt patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, saluis videlicet priuilegiis omnibus & iuribus eorum.

Datum Florentie in sessione publica synodali in ecclesia maiori solenniter celebrata, anno incarnationis dominice 1439. pridie Nonas Iulii, pontificatus nostri anno nono.

DECRETVM PRO ARMENIS. Extat etiam  
tomus precedenti pag.  
539.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.*

**E**XVLTATE Deo salutari nostro, iubilate Deo Iacob omnes qui vbiq̃ nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum Dominus recordatus misericordie sue, alium dissidii lapidem, nongentis & amplius inueteratum annis, de ecclesia sua auferre dignatus est, & qui facit concordiam in sublimibus, & per quem in terra pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum vnionem sua ineffabili miseratione concessit. 2. Cor. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Intuens namque piissimus Dominus suam ecclesiam, modo ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non paruis agitari turbinibus, vt inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior affurgere valeat, multis eam modis quotidie consolari & roborare dignatur.



Nam & pridem magnam illam Græcorum vnionem, multas longe lateque continentem nationes & linguas; hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui per septentrionem & orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei & caritatis vinculo cum sede apostolica stabiluit. Hæc profecto tam magna & mira sunt diuinæ pietatis beneficia, vt non solum pro vtroque, sed ne quidem pro altero fati dignas suæ maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, vno eodemque tam breui tempore duo sic præclara & tot sæculis desiderata opera in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Vere a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quæ enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei & cœpisset & perfecisset, has tales & tantas res explere potuisset? Laudemus igitur, & toto corde benedicamus Domino, qui fecit mirabilia magna solus; ipsique psallamus spiritu, psallamus & mente, ore & opere, quantum finit humana fragilitas, pro tantis muneribus gratias agamus, orantes & obsecrantes, vt quemadmodum ipsi Græci atque Armeni vnum cum ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant & ceteræ nationes, præsertim Christi caractere insignitæ; & totus denique populus Christianus, omnibus odiis bellicisque extinctis, mutua inuicem pace ac fraterna caritate quiescat & gaudeat.

Ipsos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos esse merito censemus. Vt primum enim a nobis ad Synodum accersiti sunt, tamquam ecclesiasticæ auidi vnitatis, spectabiles, deuotos & doctos oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quidquid Spiritus sanctus hanc sanctam Synodum illustrauerit, ex remotissimis regionibus per multos labores marisque pericula ad nos & hoc sacrum Concilium destinarunt.

Nos vero tota mente, vt nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, sæpe cum ipsis oratoribus de hac sancta vnione contulimus, & ne vel parua huic sanctæ rei dilatio fieret, deputauimus de omni <sup>a</sup> statu huius sacri Concilii viros iuris diuini & humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque & diligentia rem ipsam cum ipsis pertractarunt oratoribus,  
ab

<sup>a</sup> Quid sit status, vide supra part. 1. collat. 21. num. 9. vltra medium.

ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa diuinæ vnitatem essentia, & diuinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri Iesu Christi humanitatem, & septem ecclesiæ sacramenta, & alia ad fidem orthodoxam & ritus vniuersalis ecclesiæ pertinentia.

Multis itaque adhibitis disputationibus, colloctionibus & tractatibus, post non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis ecclesiæ patribus & doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem; tandem expedire iudicauimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede apostolica, vniouque ipsa stabilis ac perpetua sine vlllo scrupulo perseueret, vt sub quodam breui compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

In primis ergo damus eis sanctum symbolum a centum quinquaginta episcopis in œcumenico Constantinopolitano Concilio editum cum illa additione, Filioque, ipsi symbolo declarandæ veritatis gratia, & urgente necessitate licite & rationabiliter apposita, cuius tenor talis est: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam.

Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Hoc autem sanctum symbolum, sicut apud Latinos mos est, ita decernimus per omnes Armenorum ecclesias intra Missarum solennia singulis saltem diebus Dominicis & maioribus festiuitatibus decantari, vel legi.

Secundo tradimus eis diffinitionem quarti vniuersalis Concilii Calchedonensis, in quinto postea & sexto vniuersalibus Conciliis renouatam, de duabus naturis in vna Christi persona, cuius tenor est talis: Sufficeret quidem sapiens hoc & salutare diuinæ gratiæ symbolum ad plenam cognitionem & confirmationem pietatis: de Patre enim & Filio & Spiritu sancto perfectionem docet, & Domini humanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam hi qui conantur reprobare prædicationem veritatis, per proprias hæreses nouas voces genuerunt: & hi quidem præsumentes corrumpere mysterium dispensationis Domini, quæ propter nos facta est. Alii vero introducentes confusionem permixtionemque, & stulte confingentes, vnam esse naturam carnis & deitatis, & portentose dicentes passibilem Vnigeniti diuinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, præsens nostra sancta & magna atque vniuersalis Synodus prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decreuit ante omnia fidem trecentorum decem & octo sanctorum patrum manere irrecusabilem; & posteriore tempore propter illos quidem qui pugnant aduersus Spiritum sanctum, corroborat doctrinam de substantia Spiritus traditam a patribus centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi inferentes, quod aliquid minus esset in præcedentibus, sed eorum intellectum de Spiritu sancto scripturarum testimoniis declarantes aduersus eos qui dominationem eius respuere tentauerunt: propter illos autem qui moliuntur corrumpere dispensationis mysterium, & impudenter delirant, dicentes, purum hominem esse illum qui ex sancta Maria virgine natus est; suscepit epistolas synodicas beati Cyrilli quondam præfulis ecclesiæ Alexandrinæ ad Nestorium & ad orientales, congruas existentes ad conuincendas

Nestorii vesanias, & ad interpretationem eorum qui salutaris symboli mentem pio zelo nosse desiderant; quibus etiam consequentissime epistolam coaptavit magnæ & senioris vrbs Romæ præfulis beatissimi ac sanctissimi Leonis papæ, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ archiepiscopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, vtpote congruentē illius magni Petri confessioni, & existentem nobis communem quamdam columnam aduersus praua dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namq; qui in duos filios dispensationis diuinæ mysterium discerpere nituntur, obsistit; & illos qui passibilem deitatem Vnigeniti ausi sunt dicere, a sacro cœtu expellit; & his qui in duabus naturis Christi temperamentum aut confusionem exquirunt, resistit; & eos qui dicunt serui formam quam ex nobis assumpsit, cælestem esse, aut alterius alicuius substantiæ, vt dementes abigit; & qui duas quidem ante vnitionem naturas Domini fabulantur, vnam vero post vnitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur sanctos patres, vnum eundemque confiteri Filium Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundem perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere & hominem vere, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem, vnum eundemque Christum verum Filium Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indiuisse, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum siue diuisum, sed vnum & eundem Filium vnigenitum Deum verum, Dominum Iesum Christum, sicut ante prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & sanctorum patrum nobis tradidit symbolum.

Tertio diffinitionem de duabus voluntatibus duabus

*Concil. Tom. 33.*

Cccc ij

que Christi operationibus in prædicto sexto Concilio promulgatam, cuius tenor talis est: Sufficeret quidem: & reliqua, quæ in ipsa diffinitione Concilii Calchedonenfis superius enarrata sequuntur vsque ad finem, post quæ sequitur in hunc modum: Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes, indiuisæ, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum patrum doctrinam adæque prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias (iuxta quod impii asseruerunt hæretici) sed sequentem humanam eius voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subiectam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moueri, subiici vero voluntati diuinæ, iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro Dei Verbi dicitur & est, ita & naturalis carnis eius voluntas propria Dei Verbi dicitur & est, sicut ipse ait: *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, Patris: suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius: nam & caro propria ipsius facta est. Quemadmodum enim sanctissima & immaculata animata eius caro deificata est, & non est perempta, sed in proprio sui statu & ratione permansit: ita & humana eius voluntas deificata est, & non est perempta; saluata est autem magis secundum deiloquum Gregorium dicentem: Nam velle illius qui in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum: duas enim naturales operationes indiuisæ, inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est diuinam operationem & humanam operationem, secundum diuinum prædicatorem Leonem apertissime asserentem: Agit enim vtraque forma cum alterius communiõne quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis: nec enim in quoquam vnã dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, vt neque quod creatum est, in diuinam ducamus essentiam, neque quod eximium est diuinæ naturæ ad competentem creaturis locum deiiciamus: vnus enim & eiusdem tam miracula, quamq; passiones cognoscimus secundum aliud & aliud earum, ex quibus est, naturarum, & in quibus habet esse, sicut admirabi-*

lis inquit Cyrillus . Vndique igitur inconfusum atque indiuisum conseruantes vnum sanctæ Trinitatis, breui voce cuncta proferimus, & post incarnationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum esse credentes, asserimus duas eius esse naturas, in vna eius radiantes subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem sui dispensatiuam conuersationem, non per phantasia, sed veraciter demonstrauit ob naturalem differentiam in eadem vna subsistentia cognoscendam, dum vtraque natura cum alterius communione indiuisæ & inconfuse propria vellet atque operaretur: iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad salutem humani generis conuenienter in eo concurrentes.

Quarto, quoniam hætenus ipsi Armeni præter has tres, Nicænam, Constantinopolitanam & Ephesinam primam Synodos, nullas alias vniuersales postea celebratas, nec ipsum beatissimum huius sanctæ sedis antistitem Leonem, cuius auctoritate ipsa Calchedonensis Synodus extitit congregata, susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam Synodum ipsam Calchedonensem quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorii hæresim diffinitionem fecisse, instruximus eos, & declarauimus, huiusmodi falsam fuisse suggestionem, ipsamque Synodum Calchedonensem & beatissimum Leonem sancte & recte veritatem de duabus in vna persona Christi naturis superius descriptam diffiniuisse contra impia Nestorii & Eutyichis dogmata: iniunximusque vt ipsum beatissimum Leonem, qui vere fidei columna fuit, & omni sanctitate & doctrina refertus, tamquam sanctum & in catalogo sanctorum merito descriptum de cetero reputent & venerentur; atque non solum dictas tres Synodos, sed omnes alias vniuersales auctoritate Romani pontificis legitime celebratas, sicut & ceteri fideles, reuerenter suscipiant.

Quinto, ecclesiasticorum \* sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliiori doctrina, sub hac breuissima redigimus formula. Nouæ legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema

\* Hæc doctrina de sacramentis fere ad verbum est desumpta ex s. opusculi angel. doct. de articulis & sacramentis ecclesie.

vnctio, ordo & matrimonium, quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spirituales vnus cuiusque hominis in seipso perfectionem, duo vltima ad totius ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur: per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutri-mur diuina eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam & corporaliter, pro-ut animæ expedit, per extremam vnctionem: per ordinem vero ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter, per matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio & ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a ceteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile: vnde in eadem persona non reiterantur: reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiæ; & cum per primum hominem mors introierit in vniuersos, nisi ex aqua & spiritu renascamur, non possumus (vt inquit veritas) in regnum cælorum introire. Materia huius sacramenti est aqua vera & naturalis; nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Non tamen negamus quin & per illa verba, Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: vel, Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma; quoniam cum principalis causa ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trini-

tas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet ecclesiæ, & facere intendat quod facit ecclesiæ. Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque poenæ quæ pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perueniunt.

Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto. forma est autem: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ordinarius minister est episcopus, & cum ceteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre, quia de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat: *Cum enim audissent, inquit, apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cum venissent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini nostri Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio: legitur tamen aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgenti admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huiusmodi sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est apostolis die Pentecostes, vt videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fron-

*Act. 8.*



1. Cor. 1.

te, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum: propter quod signo crucis signatur.

Apo. 17.

Tertium est eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus & vinum de vite: cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum patrum ac doctorum ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc conuenit dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim Alexander papa V. a beato Petro: In sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solennia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificium offeruntur. Non enim debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque, id est sanguis & aqua ex latere Christi profuixisse legitur: tum etiam quia conuenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est vnio populi Christiani ad Christum: aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: *Aquæ multæ populi multi*. Et Iulius papa II. post beatum Siluestrum ait: Calix dominicus, iuxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum & aqua miscentur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & iungitur. Cum ergo tam sancta Romana ecclesiæ a beatissimis apostolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis ecclesiæ sic seruauerint, & modo seruent, inconueniens admodum videtur, vt alia quæuis regio ab hac vniuersali & rationabili discrepet obseruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipsi Armeni se cum vniuerso orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, vino admisceant. Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi lo-  
quens

quens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur; ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum: & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem; in quo, vt inquit Vrbanus papa, gratam Saluatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

Quartum sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium & eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit: Ego te absoluo, &c. Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis.

Quintum sacramentum est extrema vñctio, cuius materia est oleum oliuæ per episcopum benedictum. Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; qui in his locis vngendus est. In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in

*Concil. Tom. 33.*

Dddd

renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius sacramenti est hæc: Per istam vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. & similiter in aliis membris. Minister huius sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio, &, in quantum animæ<sup>a</sup> expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Iacobus apostolus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

<sup>a</sup> Hinc corrigenda alie editiones, quæ loco animæ, habent autem. Quod apparet etiam superfluum post illam coniunctionem, & immediate antecedentem, sed & hic paulo supra sic dicitur: Spiritualliter autem & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam vnctionem.

Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri euangeliorum dationem: subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superimposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii est talis: Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis & mortuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: & sic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est episcopus: effectus est augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus Christi minister.

*Ephes. 5.*  
<sup>b</sup> Hoc aduerbium, regulariter, non in eo sensu accipiendum est, vt causa efficiens matrimonii regulariter sit consensus, quasi possit esse aliquando matrimonium sine consensu, sed in eo sensu accipiendum, quod regulariter sit consensus per verba expressus, ita vt aduerbium regulariter cadat super verba, non super consensum, & sit sensus, causam efficientem matrimonii esse posse aliquando consensum non per verba, sed per signa expressum. Sic Sane, de matrim. lib. 2. disput. 11. & Pont. lib. 4. cap. 1. & 7.

Septimum sacramentum est matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi & ecclesie, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Causa efficiens matrimonii<sup>b</sup> regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam vnus coniugum alteri seruire debet. Tertium est indiuisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi & ecclesie. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sexto, compendiosam illam fidei regulam per beatissi-

mum Athanasium editam ipsis præbemus oratoribus, cuius tenor talis est: Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitatem veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed Patris & Filii & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Imensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus; & tamen non tres æterni, sed vnus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: & tamen non tres dii, sed vnus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus: quia sicut sigillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filii: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales: ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & vnitatem in Trinitate, & Trinitas in vnitatem veneranda sit. Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est: Deus est ex substantia Patris ante sæcula

genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem: qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitæ personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus, qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

Septimo, decretum vnionis cum Græcis consummatæ, pridem in hoc sacro œcumenico Concilio Florentino promulgatum, cuius tenor talis est, prout supra scriptum est.

Octauo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festiuitates annuntiationis beatæ Mariæ virginis, natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, & consequenter natiuitatis & circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, ac præsentationis eiusdem in templo, seu purificationis beatæ virginis Mariæ, celebrari debeant, factisque dilucide veritas patefacta fuerit tam sanctorum patrum testimoniis, quam consuetudine Romanæ ecclesiæ & omnium aliarum, vniuersaliter apud Latinos & Græcos. Ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, vnde perturbandæ caritatis occasio possit oriri, decernimus tamquam veritati & rationi consentaneum, vt iuxta totius reliqui orbis obseruantiam ipsi etiam Armeni festum annuntiationis beatæ Mariæ die 25. mensis Martii, natiuitatis beati Ioannis Baptistæ 24. Iunii, natiuitatis vero secundum carnem Saluatoris nostri 25. Decembris, circumcisionis eiusdem 1. Ianuarii, epiphaniæ 6.

eiusdem Ianuarii, præsentationis Domini in templo, seu purificationis Dei genitricis 2. Februarii, debeant solenniter celebrare.

His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores, nomine suo & sui patriarchæ ac omnium Armenorum, hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quidquid tenet & docet sancta sedes apostolica & Romana ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos patres, quos ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt. Quasculumque vero personas, & quidquid ipsa Romana ecclesia reprobatur & damnatur, ipsi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes tamquam veri obedientiæ filii, nomine quo supra, ipsius sedis apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperare.

Lectio autem solenniter in nostra & huius sanctæ Synodi præsentia memorato decreto, mox dilectus filius Narses Armenus nomine ipsorum oratorum in idiomate Armenico publice hæc quæ sequuntur legit: quæ in continenti dilectus filius Basilius ordinis Minorum, noster & ipsorum Armenorum communis interpret, publice sermone Latino in hunc modum exscripto legit.

Beatissime pater, & sanctissima Synode, totum hoc sanctum decretum, quod nunc Latine coram vestra publice lectum est præsentia, fuit nobis pridie de verbo ad verbum in nostro idiomate clare expositum & interpretatum, quod quidem optime nobis placuit & placet: ad maiorem autem nostræ mentis expressionem, eius effectum summatim repetimus.

In ipso continetur primo, qualiter populo nostro Armenorum traditis sanctum symbolum Constantinopolitanum, cum illa additione, Filioque, vt in ecclesiis nostris, diebus saltem Dominicis maioribusque festiuitatibus, intra Missarum solennia decantari, seu legi debeat.

Secundo diffinitionem Concilii quarti vniuersalis Chalcedonensis, de duabus naturis in vna Christi persona.

Tertio diffinitionem de duabus Christi voluntatibus,

Dddd iij

& operationibus in sexto vniuersali Concilio promulgatam.

Quarto declaratis, quod ipsa Calchedonenſis Synodus & beatiffimus Leo papa recte de duabus in vna perſona Chriſti naturis veritatem diffinierint contra impii Neſtorii & Eutyſchis dogmata, iubetisque vt ipſum beatiffimum Leonem tamquam ſanctum & fidei columnam veneremur, atque non ſolum has tres Synodos, Nicanam, Conſtantinopolitanam & Ephelinam primam, ſed & omnes alias vniuerſales auctoritate Romani pontificis legitime celebratas reuerenter ſuſcipiamus.

Quinto, breuem formulam ſeptem ſacramentorum eccleſiæ, videlicet baptiſmi, confirmationis, euchariftiæ, pœnitentiæ, extremæ vnctiõnis, ordinis & matrimonii; declarando quæ ſit cuiuſlibet ſacramenti materia, forma & miniſter: quodque in ſacrificio altaris dum calix offertur, vino paululum aquæ admifceri debet.

Sexto, quamdam compendioſam beatiffimi Athanaſii ſidei regulam, quæ incipit: Quicumque vult ſaluus eſſe, &c.

Septimo, decretum vnionis concluſæ cum Græcis in hoc ſacro Concilio pridem promulgatum, continens, qualiter Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter procedit, & quod illa additio, Filioque, licite & rationabiliter ipſi ſymbolo Conſtantinopolitano fuit appoſita, quodque in pane triticeo azymo, vel fermentato, corpus Domini conficitur: quid etiam credendum ſit de pœnis purgatorii & inferni, ac vita beata, & de ſuffragiis quæ pro defunctis fiunt. Item de plenitudine poteſtatis ſedis apoſtolice tradita a Chriſto beato Petro & ſuis ſucceſſoribus, atque de ordine patriarchalium ſedium.

Octauo decernitis, vt de cetero Armeni has feſtiuitates infra ſcriptis diebus more vniuerſalis eccleſiæ celebrare debeant, videlicet annuntiationis beatæ Mariæ virginis 25. Martii, natiuitatis beati Ioannis Baptiſtæ 24. Iunii, natiuitatis Saluatoris noſtri ſecundum carnem 25. Decembris, circumciſionis eiufdem 1. Ianuarii, epiphaniæ 6. eiufdem Ianuarii; præſentationis Domini in templo, ſiue purificationis beatæ Mariæ 2. Februarii.

Nos igitur oratores, nomine noſtro noſtrique reuerendi patriarchæ, & omnium Armenorum, ſicut & veſtra

sanctitas in ipso decreto attestatur. Hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quidquid tenet & docet sancta sedes apostolica & Romana ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptamus, suscipimus & amplectimur. Illos quoque doctores & sanctos patres, quos ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipimus: quascumque personas, & quidquid ipsa Romana ecclesia reprobatur & damnatur, nos pro reprobatis & damnatis habemus; profitentes tamquam veri obedientiæ filii, nomine quo supra, ipsius sedis apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperare.

Datum Florentiæ in publica sessione synodali solenniter in ecclesia maiori celebrata anno incarnationis dominicæ 1439. decimo Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno nono.

Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis & sanguinis Domini sacrosancta Romana ecclesia, apostolorum doctrina & auctoritate firmata, semper uti consueuerat, illam præsentibus duximus inserendam. In consecratione corporis hac utitur forma verborum: *Hoc est enim corpus meum.* Sanguinis vero: *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Panis vero triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea coctus sit, nihil omnino refert: dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post præfata verba consecrationis corporis a sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transubstantietur.

Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, vbi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum, mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem; nec distinguat, mortuo primo, vel secundo, vel tertio: declaramus non solum secundas, sed tertias & quartas, atque vltiores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Com-



mendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes in castitate permanferint: quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito præferendam esse censemus.

His omnibus explicatis, prædictus Andreas abbas nomine dicti patriarchæ ac proprio, & omnium Iacobinorum, hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quidquid tenet & docet sancta sedes apostolica & Romana ecclesia, cum omni deuotione & reuerentia suscipit & acceptat. Illos quoque doctores & sanctos patres, quos ecclesia Romana approbat, ipse reuerenter suscipit: quascumque vero personas, & quidquid Romana ecclesia reprobatur & damnatur, ipse pro reprobatis & damnatis habet, profitens tamquam verus obedientiæ filius, nomine quo supra, sedis apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter semper obtemperare.

LECTO solenniter in præsentis Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico, præfatus Andreas abbas ipsum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infra scripta verba in scriptis Arabice subiunxit, quæ in continenti Latine recitata sunt: Beatissime pater domine Eugeni, sanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summe pontifex, vereque Christi vicarie ac beati Petri successor, & sanctissima vniuersalis Florentina Synode, totum hoc sanctum decretum cum insertis, etiam sanctis decretis vnionis Græcorum & Armenorum, quod nunc in vestra præsentia publice lectum est, ego Andreas humilis abbas sancti Antonii, orator reuerendi patris domini Ioannis patriarchæ Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam & instructionem, cognosco confiteorque omnia in ipso decreto contenta diuinæ ac catholicæ veritati consona existere. Nomine igitur præfati domini patriarchæ, omniumque Iacobinorum ac meo, quemadmodum vestra sanctitas attestatur, præfatum saluberrimum synodale decretum cum dictis insertis decretis, omnibusque suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis,  
omnem-

omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quidquid tenet & docet sancta sedes apostolica & Romana ecclesia, cum omni deuotione & reuerentia suscipio & accepto. Illos quoque doctores & sanctos patres quos ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipio. Quasumque vero personas, & quidquid ipsa Romana ecclesia reprobatur & damnatur, pro reprobatis & damnatis habeo, pollicens nomine quo supra, ipsum patriarcham, Iacobinosque & me ipsum, tamquam veræ obedientiæ filios, vestris ac sedis apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter & semper obtemperaturos.

Datum Florentiæ in publica sessione synodali solenniter in ecclesia domus sanctæ Mariæ Nouellæ, apud quam nunc residemus, celebrata, anno incarnationis dominicæ 1441. pridie Nonas Februarii, pontificatus nostri anno vndecimo<sup>a</sup>.

## S V B S C R I P T I O N E S .

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus.

*Adiutor meus & protector meus es tu Domine. Ne derelinquas me Deus meus.*

Ego Antonius Ostiensis episcopus, cardinalis Bononiensis, me propria manu subscripsi.

Ego Branda episcopus Portuensis, nominatus cardinalis Placentinus.

Ego Nicolaus tituli sanctæ Crucis presbyter cardinalis manu propria me subscripsi.

Ego Dominicus tituli sanctorum Ioannis & Pauli presbyter cardinalis manu propria me subscripsi.

Ego Franciscus tituli sancti Clementis cardinalis & presbyter, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius.

Ego Angelottus tituli sancti Marci presbyter cardinalis manu propria me subscripsi.

Ego Ioannes tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis me subscripsi.

Ego Nicolaus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis me subscripsi.

Ego G. tituli sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego B. tituli sanctorum duodecim apostolorum presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes tituli sanctæ Prædix presbyter cardinalis manu propria subscripsi.

Ego G. tituli sancti Martini in montibus presbyter cardinalis subscripsi.

*Concil. Tom. 33.*

Eccc

\* Hoc decretum pro Iacobinis cum inferione decretorum pro Grecis & Armenis, impressum est etiam Venetiis apud Lucam Antonium de Giunta anno Domini 1574.

*Quid autem hoc anno rescripserit Eugenius Constantino Palæologo despoto, ex registro Vaticano exhibemus.*

*Eugenius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio & excellenti Constantino despoto Palæologo salutem, &c.*

Num. X.

**Q**VANTO desiderio & animi fervore ob Dei reuerentiam, zeloque catholice fidei cupiat deuotio tua, vt sancta hæc occidentalis & orientalis ecclesie vnio, Domini & saluatoris nostri Iesu Christi gratia, nuper tam sollemniter, rite & concorditer celebrata, debitum isthic in Constantinopoli & in ceteris Gracie partibus sortitur complementum, literæ venerabilis fratris Christophori episcopi Coronensis oratoris nostri, & plurimorum orthodoxorum virorum relationes nobis & apostolica sedi nuntiauerunt. Nam in ea causa licet per carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Palæologum Romæorum imperatorem hæctenus satis tenue & tepide sit processum, tua tamen celsitudo rem ipsam locum & perfectionem suam, quantum in se fieri potest, habere vult & intendit. Idcirco in manus præfati episcopi oratoris, nostro & apostolice sedis nomine recipientis, supra pectus tuum pollicitus es, teipsum in futurum omnem operam daturum, quo prædicta vnio sic, vt præfertur, & omnia quæ illius perfectionem postulant, impleantur, completaque in sui robore & firmitate permaneant. Quorum omnium gratia, dilecte fili, nos & apostolica sedes primum bonitati diuinæ, quæ illa pectori tuo insinuauit; tum filiali tuæ deuotioni, quæ insinuata retinuit & retinet, plurimum congratulamur, simulque cupimus quæque res deuotioni tuæ gratas efficere & operari. Volumusque propterea impræsentiarum aliquas facere saltem tibi pro gratitudinis memoria.

Igitur fauente Deo, cuius causam in hac sanctissima re prosequeris, & prosequi, vt præfertur, intendis, si te in futurum quandoque in Romæorum imperio huiusmodi succedere, aut quouis modo præsidere, & in imperatorem creari contigerit, & stabilimento præfatæ vnionis cum publicatione & lectione decreti dederis debitum, vt præfertur, complementum\*, deuotioni tuæ per præsentis

\* Defuncto Ioanne successit in imperio hic Constantinus, qui tamē non aliter quā frater fuit negligens in exequendo decreto, monitis Nicolai papæ V. semper excusationes & dilaciones prætexens, donec iusta Dei uisione, quod in oriente Constantinus magnus filius Helenæ fundauerat imperium, hic alter Constantinus filius alterius Helenæ, vt initium sui concordaret, occisus ipse a Turcis auulsi.

nostro & apostolicæ sedis nomine pollicemur auxilia illa, subuentiones & subsidia, quæ carissimo in Christo filio imperatori præfato pro tuitione & defensione ciuitatis Constantinopolis polliciti sumus, quæque illius culpa & tepiditate impleri non potuerunt, in teipsum & personam tuam tunc in prædicto imperio præfidentem, & vt prædiximus, vnionem huiusmodi iam prius per te perfectam, & illic in sua firmitate manutenere, perficere, ac debitis prouisionibus adimplere. Illud etiam addentes, vt nunquam Romanam ecclesiam & apostolicam sedem tibi defuturam esse dubites, eidem debitam & deuotam reuerentiam exhibendo, dum etiam per semitam iustitiæ incesseris, atque vnionis huiusmodi sacrosanctæ necessarium complementum tam fideliter, quam potenter adhibueris.

Datum Florentiæ anno incarnationis, &c. 1441. XI. Kalendaras Maii, pontificatus nostri anno XI.

*Hoc eodem anno Nicodemus abbas Æthiopum Hierosolymis degentium ad Eugenium summum pontificem oratorem misit cum literis, quarum fragmentum refert Iacobus Nauarchus, & ex eo Sanderus de visibili monarchia ecclesiæ lib. 7. sub Eugenio IV. quas integras ex Vaticano codice hic subiicimus.*

*Expositio oratoris reuerendi patris domini Nicodemi abbatis pro serenissimo & potentissimo Æthiopum imperatore, super Æthiopibus Hierosolymis constitutis. Quæ quidem expositio facta fuit in publica congregatione œcumenici Concilii Florentini die Sabbati 2. Septembris 1441.*

**O**MNES homines ad tuam præsentiam peruenientes, Num. XI. pater beatissime, multas tenentur Deo gratias agere, qui eos fecerit dignos videre in te Christum etiam in terris inter peccatores homines conuersantem. Sed nos in Æthiopia nati, multis magnisque cogimur rationibus nulli alteri nationi communibus laudare & benedicere Dominum, qui nobis dedit sacram fidem tuam in præfenti tempore intueri. Primum, quod neminem credimus remotiorem ab orbis parte huc se conferre quam nos, qui non ad extremam modo omnibus partem, sed pene extra ipsum orbem positam incolimus Æthiopiæ regionem.

Secundum quia, salua ceterarum pace, non credimus

*Concil. Tom. 33.*

*Eccc ij*

gentem esse aliam, quæ maiori fide & deuotione Romanum pontificem veneretur. Quod quidem ab experientia apud nos notorium esse dignoscitur, vt reuersuri in patriam, applausus exultationesque nostrorum hominum & populi obuiam processuri timere cogamur, quia semper hæcenus obseruatum est, vt venientium a Romani pontificis conspectu plebs & omnis sexus, ætatis multitudo conferta pedes osculari, & vestis partem pro reliquiis seruandam lacerare contendat: vnde intelligi potest, quanta sit nostris hominibus Romani pontificis opinio sanctitatis.

Tertio loco, maiori excipiendum lætitia & iubilo gaudium nostrum, quod maius imperium nostrum quam aliud esse opinamur. Siquidem reges centum nostro imperio etiam præsentis tempore sunt subiecti: & præter hoc gloriæ nostræ pars non est minima, regina Saba, quæ excitata fama sapientiæ Salomonis, ita se contulit in Ierusalem, quemadmodum nos, qui licet multo minores simus regina Saba, ad te venimus, qui es etiam plus quam Salomon. Ex gente item nostra fuerunt Candacis regina & eunuchus, quos Philippus Domini nostri apostolus baptizauit. Quarum rerum certe magnarum gratia, tu qui maximus es magnatum, nos, licet paruulos, des libenter, prout confidimus, te intueri.

Postremo vero & rationum præstantissima, quibus aduenisse lætamur, ea est, quæ ab ipsis effectibus innouit, & mundo palam est factum, omnes qui a te & a Romana ecclesia discesserunt, penitus corruisse. Nostra tamen inter ceteras ecclesias, quæ a prædicta Romana videntur ecclesia recessisse, fortis etiam & potens ac libera existit. Cuius quidem rei nullam aliam dicent sapientes causam existere, quam quia aliarum ecclesiarum secessio atque rebellio fuit voluntaria, hincque eorum populi in seruitutem exterminiumque sunt dati: nostra autem intermissio & elongatio a sede tua, nequaquam a perfidia aut leuitate alia, sed potius processit a prouinciarum distantia, & a periculis quæ subeunt commeantes, atque etiam a prædecessorum tuorum Romanorum pontificum negligentia, cum nulla apud nostros homines sit memoria visitationis aut curæ tot Christi ouium, quam pa-

storum quispiam ante te voluerit suscipere. Nam fert opinio nostra, octingentos effluxisse annos, ex quo nullus ante pontifex Romanus nos vel leui aut vnico verbo curauerit salutare. In hoc itaque summa laus tua & nostri gaudii multitudo consistit, quod tu solus ac primus imperatorem nostrum ac nostram gentem catholicæ fidei & tibi ipsi studeas vnire per vestrae congregationis, & operam nostri abbatis Nicodemi serui tui, in Hierosolyma constituti, qui nos ad te mittit, quemadmodum in presentibus literis continetur. Commendat autem abbas ipse tum se ipsum, tum & filios suos sanctitati tuæ, ad cuius mandata labores quoscumque suscipere est paratus pro habenda concludendaque sanctissima vnione. Te autem in primis certum reddit, imperatorem Æthiopum nihil in rebus humanis ducere maius, nihil affectuosius cupere, quam vniri Romanæ ecclesiæ, & tuis sanctissimis subiici pedibus. Tantæ magnitudinis apud eum sunt Romanum nomen & Latinorum fides, quam tecum Christus augere & conseruare dignetur in sæcula sæculorum. Amen.

*Hæ sunt literæ Hierosolymitanæ, quas scribit sancto & magno patri, papæ vrbis Romæ, sedenti super sedem apostolorum Petri & Pauli, abbas Hierosolymitanus super Æthiopicis Hierosolymis commorantibus.*

Num. XII.

\* Paulo infra dicit: In magna sede es Petri apostoli constitutus: hic autem nominat etiam Paulum, eius fidem & zelum indicans transfusum in Romanum pontificem.

**I**N nomine sanctæ Trinitatis. Hæ literæ mittuntur ab Hierosolymis per Nicodemum abbatem super nationem Æthiopum, quæ dentur magno patri vrbis Romæ, Eugenio capiti omnium sedium. Pax tibi & omni sedi, & pax magnitudini tuæ, qui sedes in sede apostolorum Petri & Pauli, cuius splendor illuminat mundum. Ego vero vbicumque terrarum sim, prosternor coram te: non autem ego solus, sed omnes patriarchæ atque episcopi, reges atque imperatores inclinantur ante te.

Cum ad nos deuenerunt nuntii tui ob causam fidei, magnam ex eis consolationem accepimus, quam hactenus valde cupiebamus, vt tandem omnes vnum simus, sicut Paulus dicit: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*. Hæc vero res cum ad regem nostrum peruenerit, maximæ illi lætitiæ futura est. Nam idem admodum cupit, vt omnes in vnâ fidem pariter vniantur. Ego autem ipse pro re ista

Ephes. 4.

Eccc iij

ad te venissem, nisi me metus Sarracenorum perterruisset, ne forte res ista infidelibus palam fiat. Propterea mitto ad te filios meos presentium literarum latores, qui die Octobris 14. a me recedentes, opto eos ad me redire celeriter, ut ad regem nostrum Æthiopiæ se citius conferant, cui referant cuncta quæ iusseris, quæ velis deinde perficere & quæ cœpisti: quoniam ideo Deus Pater te omnibus præposuit patriarchis, & in magna sede es Petri apostoli constitutus, quæ caput est omnium sedium, ut omnes posses pascere oves Christi. Hæc autem cogitatio tua a Deo est, & tu vere beatus es, qui ad apostolorum similitudinem pro fide Christi talia tentasti, nec tanta fecerunt prædecessores tui. Utinam cuncta ad finem vsque perducas. Etenim contaminatio infidelium in vnum coacta est, Iudæi Christi crucifixores pariter idem consentiunt: Christiani vero, relicta apostolorum sapientia, vnusquisque in viam sui sensus, ut libuit, abierunt, & quilibet dicit, Mea fides verior est: quæ distinctio nequaquam est a Deo, sed procedit a diabolo. Tu igitur cura, ut possint ad vnam venire dispersi, ut sit omnium fides vna: & sicut sub patribus trecentis decem & octo in Nicæna Synodo facta est, sic & tu roborata fides, ut illi fecerunt, ut congregemur in vnum: quoniam cum in vnam fidem pariter conuenerimus, Christus ex terra promissionis nostros hostes abiciet, & fiet ut stipula ante faciem venti, non nostra, sed Christi nostri potentia faciente.

Post hæc, o pater magne, ut de vnione inter nos facienda aliquid tibi respondeam, eam quidem de certo & nos & rex noster vehementissime cupimus, verumtamen sine ipso rege nostro illam concludere non vellemus. Offerimus nos omnes sanctitati tuæ omnes vires, curam & diligentiam nostram, ut nostro labore ac studio vnio sancta tecum apud regem nostrum veraciter, ut iusseris, compleatur. Quoniam qui aditus vel accessus ad patriam nostram terra marique Latinis hominibus pene mortalis & impossibilis est, a nobis Æthiopibus, quamuis inter ingentes labores, in dies sapius frequentatur, verentibus Sarracenis ob metum regis Æthiopum in aliquo nos offendere, quos infideles rex ipse noster parua opera penitus posset destruere. De nostro vero ad tuam sanctitatem aduentu

patriarcha Iacobitarum penitus nihil nouit, sed clam illo & Sarracenis ignorantibus ad te venimus; ne forte, sicut ex varia ratione ambitionis atque perfidiæ vtrique facere solent, negotium vnionis præpediretur. Præsentes autem filii mei ad te veniunt, non tecum de fidei veritate disputaturi, sed tuam sententiam audientes recepturi, veritati que fidei quam statueris, consensuri. Quoniam tu sol magnus & verus splendor creaturarum es, nec lux vlla valet a quoquam facile in sæculo reperiri, quæ soli sit præferenda. Quis igitur tecum, nisi stultus atque ignarus, valeat aut debeat disputare, cum sit tam ingens ac vetusta sapientia Latinorum nota iam orbi terrarum, neque sit iuxta euangelicam veritatem discipulus supra magistrum, aut seruus supra dominum suum?

Postremo, beatissime pater, quidquid a nobis velis, mitte ad regem Æthiopiæ nostrum, qui cum ea quæ cupias, audierit a nobis, iis in nullo penitus refragabitur, sed quæcumque velis libentissime audiet atque assentiet, accepturus ingens de tua voluntate solatium, cum sit fidei Christianæ beneuolus & obediens, & quæ ad fauorem religionis pertinent, auidissime complectatur. Rogamus post hæc beatitudinem tuam, vt ii filii mei abs te cito expediantur, quatenus se in Æthiopiam transferentes, regi nostro dicere valeant omne quod iusseris. Dominus Deus longos faciat dies tuos, & repleat te omni bono, ac compleat omne desiderium tuum, fidemque tuam confirmet ac roboret in sæcula sæculorum. Amen.

Datum Hierosolymis die 14. Octobris Amet anno, <sup>a</sup> Amohereh.

Hoc quid significet, beatissime pater, nullo interpretante scire possumus. Ipsi enim Æthiopes, vt aiunt, annos per iubileos computare consueuerunt, quorum terminos, etiam ipsis conantibus, nequiuius intelligere.

*Quamuis autem inter Eugenium & præfatum Nicodemum abbatem Hierosolymis degentem actum fuerit de vnione regis Æthiopum cum ecclesia Romana, nihilo minus de hac eadem vnione & obedientia, alia etiam via quam Hierosolymitana, eundem regem Æthiopum egisse cum Eugenio papa, eodemque tempore oratores ad Eugenium transmisisse, apparet ex sequentibus literis apostolicis eiusdem Eugenii.*

<sup>a</sup> Hoc vocabulum significare Æthiopicè gratiam vel misericordiam, indubitatum est apud Æthiopes: quare dicitur abbas Nicodemus non esse de sensu vocabuli, sed de sensu computi. Annorum enim, iuxta Æthiopes, terminos, vt ipse ait, nequit intelligere, vtrum scilicet hoc tempus a misericordia sit computandū a creatiōe mundi, vel ab incarnatione Verbi, vel a misericordia Dei erga martyres, vt de computo Ægyptiorum diximus supra num. 7. de computo autem Æthiopum vide Athanasium Kircherium in suo Prodromo Copto, cap. 1.



Num. XIII. *Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis & singulis Christi fidelibus salutem, &c.*

**C**VM dilectus filius nobilis vir Angelus Maurocenus miles Sciensis, nonnullarum galearum & fustium, quas proprio sumptu tenet, gubernator & dominus, proximis temporibus gratam nobis & plurimum acceptam, & nomini Christiano gloriosissimam dederit operam, perductis ad nostram praesentiam ex partibus insulae Rhodi, magni Aethiopum regis Constantini, siue (vt dicitur) presbyteri Ioannis oratoribus, vnionem dicti regis & subiectorum sibi populorum pene infinitorum cum occidentali ecclesia quaerentibus.

Nos eundem Angelum, qui cum ipsis galeis & fustibus, aut earum parte ad orientis partes redire intendit, cupientes plena vbique inter Christianos securitate atque immunitate, & fauorabili tractatione gaudere, vniuersitatem vestram in Domino requirimus & hortamur, nostris & Romanae ecclesiae subditis dantes strictius in mandatis, quatenus eundem Angelum cum praefatis galeis & fustibus simul & separatim nauigantem, cum quibus neminem extraneum laedere promisit, in nostris portibus & locis, aliterque vbicumque fuerit obuius, benigne & placide tamquam hominem nobis carum & Romanae ecclesiae fidelem excipientes, ac in dandis receptu & victualibus fauorabiliter liberaliterque tractantes, ire, redire & morari permittatis, prout fuerit necessarium, & ipse a vobis duxerit requirendum. Nos enim fauores & alia comoda eidem Angelo & suis fustibus & comitiuae exhibita, grata habebimus & accepta, ac sedis apostolicae gratiam consequemini.

Datum Florentiae 4. Nonas Octobris, anno XI.

Num. XIV. *Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis canonicis & capitulo basilicae principis apostolorum de Vrbe salutem, &c.*

**C**VM dilectos filios Andream abbatem sancti Antonii de Aegypto, & Petrum diaconum, oratores magni principis Constantini imperatoris Aethiopum, siue (vt dicitur) presbyteri Ioannis, qui deuotionis causa ad almam  
Vrbem

Vrbem præfentialiter se conferunt, cupiamus pro maiori eorum ædificatione, atq; vt prædictum imperatorem, aliosque sibi subiectos reges & principes ac populos pene innumeros, ad vñionem cum ecclesia occidentali, quã apud nos quærere aduenerunt, facilius adducere & inclinare possint, sanctam Dei & saluatoris nostri imaginem, siue (vt dicunt) sanctam Veronicam videre. Et vos constitutionibus, ac aliis ordinibus illius ecclesiæ iuramento firmatis, id extra debita & constituta tempora facere prohibeamini.

Deuotioni vestræ, vt ipsam sanctam imaginem nunc, quando non sunt tempora instituta, prædictis oratoribus cum debito & solito modo reuerenter ostendatis, prohibitionibus supradictis, iuramento, a quo auctoritate apostolica, tenore præsentium, vos hac vice tantum reddimus absolutos, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, similibus tenore & auctoritate præcipimus & mandamus.

Datum Florentiæ 4. Nonas Octobris anno xi.

*Interim Eugenius reditum ad Vrbem cogitans, vt Conciliabulo obsisteret Basileensi, generale Concilium Romam ad Lateranum transtulit, vt testantur Platina, Ciaconius & Massonius in Eugenio, & omni exceptione maior Augustinus Patricius in præfatio suo compendio, sessione 43. sic ait.*

Florentiæ inter hæc Eugenius sessionem celebrat 6. Ka- Num. XV. lendas Maii anni salutis 1442. in qua asserens legatos Zaræ Iacob magni regis Æthiopiæ, quem presbyterum Ioannem vocant, ad Concilium œcumenicum orthodoxæ fidei suscipiendæ gratia properare, Concilium ipsum, vt maiorem auctoritatem etiam susciperet, Romam approbante ipso Concilio transtulit, prosequendum in basilica Lateranensi, propria & prima sede summi pontificis, decimoquinto die post eius ad vrbem reditum. Huic translationi addidit & plures causas, loci reuerentiam & commoditatem, rerum omnium copiam, tum occasione componendarum prouinciarum ecclesiæ, & pacis ac quietis Italiæ ceterarumque regionum procurandæ. *Hæc ille. Id autem cum effectu præstitisse Eugenium apparet ex publicis sessionibus Romæ in Laterano habitis, editisque de fide constitutionibus pro Syris, Chaldæis & Maronitis, quas ex Vaticanis codicibus infra subiiciemus.*

Concil. Tom. 33.

FFF

Non mirandum autem, quod in præfatis literis Eugenii rex Aethiopiæ nominetur Constantinus, & ab Augustino Patricio Zara Iacob: nomen enim eius proprium erat Constantinus, ut habetur in historia regum Aethiopiæ reuerendi patris Paetz Societatis Iesu, quæ manuscripta extat penes reuerendum patrem Nugnium eiusdem Societatis. Zara autem Iacob erat cognomen: etenim significat filium, seu semen Iacob, quod erat cognomen xeli & fidei: præfati etenim reges ex Jacob per Salomonem & reginam Saba gloriantur originem ducere. Vnde in catalogo dictorum regum, qui extat in secundo tomo Hispaniæ illustratæ, dicitur, Zara Iacob rectæ fidei homo ab Aethiopibus cognominatus. Et in literis David regis Aethiopiæ ad Clementem VII. quas refert Damianus a Goes, habetur, Eugenium pontificem transmisisse legatos Theodorum, Petrum, Didymum & Georgium ad regem ex semine Iacob: quod idem est ac si diceret, ad Zara Iacob. Est igitur Zara Iacob cognomen laudis, Constantinus autem nomen proprium: quo etiam nomine in præfato catalogo alter rex nominatus legitur.

Ceterum vnionis Aethiopum cum ecclesia Romana, aliarumque nationum, meminit idem Eugenius in sequentibus apostolicis literis, vniuersis & singulis Christianis principibus & præsulis pro temporali auxilio implorando directis.

Num. XVI. Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis & singulis carissimis in Christo filiis quorumque regnorum regibus; venerabilibus quoque fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, plebanis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, eorumque vicesgerentibus, ac capitulis & conuentibus, & aliis personis ecclesiasticis Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, sanctorum Benedicti & Augustini, ac aliorum quorumcumque ordinum, nec non magistris & præceptoribus ac fratribus beatæ Mariæ Teutonicorum & Calatrauensium, nec non marchionibus, comitibus & baronibus, ac aliis nobilibus potentibus, insuper capitaneis, rectoribus, consulibus, antianis, consiliis, populis, communitatibus & vniuersitatibus ciuitatum, castrorum & aliorum locorum, ac vniuersis & singulis, ad quos præsentis literæ peruenerint, salutem, &c.

**P**ost graues expensas diutinosque labores a nobis per-  
pessos, in Græcorum vnione primum, & postea in Ar-

menorum, Iacobitarum, Maronitarum, Æthiopum, Bosnensium, & aliorum diuersæ nationis populorum reductione ad sincerum fidei catholicæ cultum, non parua nobis impensa opus fuit, vt legatum apostolicæ sedis anno nunc tertio mitteremus ad inducias in regno Hungariæ constituendas, quarum occasione factum est, vt carissimus in Christo filius noster Hungariæ & Poloniæ rex, post multas victorias de Turcis Christi hostibus habitas, illos iam, vt speramus, ex Europæ partibus expulerit. Quod quidem nulla ratione idem rex potuisset efficere, nisi classis nostra, quam magna cum impensa nostra duxit ad strictum Gallipolis dilectus filius cardinalis Venetiarum nepos noster, prohibuisset alios Turcas opem illis ex Asia allaturos. Nunc vero alia premimur expensa nostros humeros superante, mittendi aliam classem ad defensionem Rhodi, aliorumque locorum a Christianis possessorum in mediterraneo mari, in perfidos Sarracenos, qui post binum insultum in Rhodienfes factum, nouam parant classem, cum qua minantur non solum Rhodi loca, sed omnes alios Christianos vsque in Italiam inuasuros: quamquam classis nostra, quam prædicta ratione paramus, non solum Sarracenos a Rhodo & aliis Christianorum locis repellere, sed vno eodemque in negotio posset terræ sanctæ ab illorum perfidia liberandæ principium modumque exhibere: cuius liberationis, dante Domino, obtinendæ talem tantamque spem habemus, quæ vos omnes honoris Dei nostri & propagationis fidei Christianæ auidos, deberet latos facere. Cupientes itaque quod vestrum omnium deuotio tanti meriti participes efficiatur, committimus aliqua dilectis filiis fratribus Bartholomæo de Fulginio commissario dilecti filii fratris Ioannis de Capestrano, Seraphino de Sicilia, & Laurentio de Panormo ordinis Minorum, qui dicuntur pauperes, siue de obseruantia regulari, per seipsos aut alios vobis referenda, quibus velit vnusquisque vestrum fidem in dicendis per se aut nuntios plenariam præstare, & fauores pro facultatum opumque & potentia qualitate liberaliter exhibere. Inhibentes expresse sub excommunicationis lætæ sententiæ pœna omnibus & singulis prælatis, ad quorum diœcesim, siue præsentiam prædictos fratres Bartholomæum, Seraphinū & Laurentium, seu ab eis substituendos,

contigerit declinare, ne ipsis aliquo modo contradicant, aut aliter sint molesti. Datum Romæ apud S. Petrum anno, &c. 1444. viii. Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno 14.

Extat etiam mentio de vniõne Aethiopum in versibus insculptis in valuis aeneis basilicæ sancti Petri tempore eiusdem Eugenii, nimirum:

*Sunt hæc Eugenii monumenta illustria quarti,  
Excelsa hæc animi sunt monumenta sui.*

*Vt Græci, Armeni, Aethiopes, hic aspice, vt ipsam  
Romanam amplexa est gens Jacobina fidem.*

Blondus etiam, qui fuit eiusdem papæ Eugenii secretarius, in primo libro Romæ instauratæ numero 58. hæc ait, alloquens Eugenium, qui portas ligneas aeneas fecerat. Tu aeneas basilicæ dedisti, tantisque insculptis historiis, vniõnis Græcorum, Armenorum, Aethiopum, Iacobinorum, & aliarum nationum, tua opera, tuaque impensa ecclesiæ conciliatarum. Sed & in eiusdem Eugenii IV. sepulcro marmoreo in eadem basilica sancti Petri hi versus leguntur, quos refert Panninius de elogiis & imaginibus pontificum.

*Eugenius iacet hic quartus, cor nobile cuius  
Testantur vitæ splendida facta suæ.*

*Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu,  
Alter ab occasu<sup>a</sup> Cæsar vterque pedes.*

*Alter, vt accipiat fidei documenta Latinæ:  
Alter, vt aurato cingat honore caput.*

*Quo duce & Armeni Græcorum exempla secuti,  
Romanam agnorunt Aethiopesque fidem.*

*Inde Syri ac Arabes, mundique e finibus Indi:  
Magna, sed hæc animo cuncta minora suo.*

*Nam valida rursus Teucros iam classe petebat:  
Dum petit, ast illum sustulit atra dies.*

*Qui semper vanos tumuli contempsit honores,  
Atque hac impressa condite, dixit, humo.*

*Sed non quem rubro decorauit ille galero,  
Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit:*

*Susceptique memor meriti, tam nobile quod nunc  
Cernis, tam præstans surgere iussit opus.*

Decretum autem fidei, quod Eugenius tradidit Aethiopibus, non aliud fuisse existimandum est, quam illud Iacobinorum, quorum implicantur erroribus.

<sup>a</sup> Sigismundum Romanorum imperatorem Romæ coronauit, prout etiam insculptum cernitur in præfatis valuis aeneis basilicæ sancti Petri.

*Quomodo autem præfati imperatoris Æthiopum oratores Romam venerint, sic narrat Ciaconius in vita Eugenii papæ: Anno 1441. die 10. Octobris abbas sancti Antonii in Ægypto vir insignis apud imperatorem Æthiopiæ, vulgo presbyterum Ioannem vocatum, duodecim ferme monachis comitatus Romam venit, & ad portam obuiam illi factis gubernatore, senatore, regionariis Urbis, præfecto arcis sancti Angeli, & conseruatoribus, multisque aliis ciuibus, deductus est in basilicam sancti Petri, vbi illi Vultus sanctus ostensus. Hospitatus est ad sanctum Laurentium in Damaso: & postea capita apostolorum, & cetera urbis reliquiæ monstrata fuerunt.*

*Extant in valuis æneis tempore Eugenii papæ IV. in maiori porta basilicæ sancti Petri, vt diximus, collocatis, nobiliora eiusdem pontificis monumenta, inter quæ visitur eorumdem oratorum in Urbem ingressus: subinde insculptum etiam cernitur, quando Eugenius papa decretum fidei eisdem oratoribus tradidit in basilica sancti Joannis in Laterano, vt hic imprimi curauimus.*



F f f f iij

*Idem etiam Eugenius, antequam Florentia Romam accessisset, dum Senis esset, in itinere Ioanni Palaeologo imperatori Graecorum, qui oratorem ad eundem summum pontificem pro auxilio contra Turcas obtinendo transmiserat, haec rescripsit.*

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio Ioanni Palaeologo imperatori Romaeorum illustri salutem & apostolicam benedictionem.*

Na. XVII.

**A**CCESSIT ad praesentiam nostram dilectus filius noster orator celsitudinis tuae, quem hilari vultu & libenti animo accepimus. Id autem ex iis quae nobis retulit, praecipue gratum habuimus, quod pro tua solita corporis qualitate bene valere asseuerauit. Quantum autem ad apparatus classis pro expeditione aduersus Turcas pertinet, de quo nos idem orator tui ex parte requisuit, diligentem ei rei operam dedimus, continuoque damus, prout orator ipse plene informatus a nobis, tuae celsitudini latius referabit. Hodieque a nobis hinc recessit dilectus filius noster Franciscus tituli sancti Clementis presbyter cardinalis sanctae Romanae ecclesiae vicecancellarius, quem ob hanc dumtaxat causam ad partes Graeciae legatum nostrum & apostolicae sedis transmittimus, a quo, cum eadem serenitatem ipsum conuenire continget, eris de occurrentibus singulis plenissime informatus. Reliquum est, vt Iesum Christum Dominum nostrum sincero corde exoremus, vt opus istud pro sui sanctissimi nominis honore inceptum, prospero euentu secundare dignetur. Quo ue vota nostra magis aequis & propitiis auribus exaudiat omnipotens Deus, curare omni ope & diligentia velit eadem excellentia tua, quod negotium vnionis, quam tantis laboribus & expensis partam fuisse nostri, felicioribus in dies successibus amplietur.

Datum Senis, &c. 3. Idus Iunii, anno XIII.

*Gracis autem nonnullis Romanam ecclesiam calumniantibus de processione Spiritus sancti, non obstante diffinitione iam facta in Concilio, haec eorum praesulibus, vt populum docerent, Romanam cum accessisset rescripsit Eugenius.*

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus patriar-  
chis, archiepiscopis, abbatibus, doctoribus, magistris per  
orientem constitutis salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**E**TSI Christus saluator noster continuo immensa sua Na. XVIII.  
benignitatis & clementiae dona erga populum Chri-  
stianum ostenderit, in hac tamen sacrosancta œcume-  
nica & Deo amabili Synodo Florentina praecipuae pieta-  
tis & caritatis dudum lumen refulsit. Inter occidentalem  
enim & orientalem ecclesiam miro & ineffabili ipsius  
Saluatoris nostri munere vnionem secutam fuisse con-  
speximus. In qua Synodo nobis, auctore Domino, praesi-  
dentibus, cum saepius ex vtraque parte doctissimorum  
& grauissimorum tam venerabilium fratrum nostrorum  
sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, quam aliorum  
praelatorum ac magistrorum adesset multitudo copio-  
sa adinuicem disputantium, omnis tandem opinionum  
differentia, omnisque dissensio praecipue & singulari-  
ter de processione Spiritus sancti, quae quadringentos cir-  
ca annos, colluctatore generis humani procurante, per-  
manserat, ipso Spiritu sancto illuminatore sublata atque  
sopita extitit, prout in synodali decreto superinde confe-  
cto clarissime continetur. Et quamquam fides, quam Ro-  
mana ecclesia de processione Spiritus sancti semper te-  
nuit, ex eis quae in praedicta Synodo diffinita sunt, luce me-  
ridiana clarior splendeat; tamen quia adhuc nonnullos  
esse in oriente intelleximus, qui ex hoc quod Romana ec-  
clesia ex Patre Filioque procedere Spiritum sanctum pro-  
fitetur, eam tenere & credere opinantur, Patrem & Fi-  
lium duo esse principia Spiritus sancti. Quorum vanam  
& impiam opinionem tanto vehementius admirati fu-  
mus, quanto lucidius, omnis Christi ecclesia cognoscit, a  
praefata Romana ecclesia illud alienum semper fuisse, &  
tamquam erroneum ac impium, extitisse semper damna-  
tum. Hanc prauam & impiam opinionem extinguere cu-  
pientes, vniuersos vos exhortamur atque requirimus, vt  
veram ecclesiae Romanae doctrinam illis aperire & praed-  
icare velitis.

Praefata namque Romana ecclesia omnium fidelium



mater atque magistra, tam ex veritatis sententia & auctoritatibus sanctorum doctorum, quam ex Canonibus per ipsam editis, tam in œcumenico Florentino, quam Lugdunenſi aliisque pluribus Conciliis promulgatis, fide-  
li ac deuota confessione semper prædicauit & docuit, docet & prædicat, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex vno principio; non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hæc est, venerabiles fratres, pura, simplex & catholica fides, quam prædicta sacrosancta Romana ecclesia, quæ semper beatissimis apostolis Petro & Paulo protectoribus immaculata permanſit, continuo prædicauit & docuit. Contrarium huius veritatis & fidei tenentes & asserentes damnauit, & nos de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, de nouo apostolica auctoritate damnamus, reprobamus, excommunicamus & anathematizamus, ac pro damnatis, reprobatis, excommunicatis & anathematizatis habemus, tenemus & reputamus, ab omnibus teneri, haberi & reputari decernimus & declaramus, ac eos cum execrabilis memoriæ Ario, Manichæo & Marcione, ceterisque aliis diuinam veritatem peruertere conantibus annumeramus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, &c. anno 1443. quarto Nonas Martii, pontificatus nostri anno 13.

*Prosequendo vero idem Eugenius pontifex œcumenicum Concilium Romæ in Laterano, sequentia dogmata sacro approbante Concilio decreuit pro Syris.*

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Num. XIX.

**M**VLTA & admirabilia diebus nostris, & longe maiora, quam aut Christianos expetere, aut cogitare possemus, ineffabilis diuinæ miserationis clementia ecclesiæ suæ sanctæ dona largitur. Vnde & fidem orthodoxam dilatam, & nouos in dies ad obedientiam sedis apostolicæ populos redire, ac nobis & omnibus Christi fidelibus lætitiæ & exultationis causas quotidie renouare sentimus; ita vt merito cum propheta, in iubilatione, fidelibus populis sæpenumero dicere prouocemur: Venite, & exultemus

temus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Verum cum in ecclesia catholica, quæ est Dei ciuitas, in monte sancto apostolicæ sedis & Petri auctoritate fundata, semper magna & inscrutabilia operatus sit Deus, cuius omnipotentia & sapientia non est numerus: hoc tamen singulare & præcipuum illi præstitit ineffabilis prudentia conditoris, vt orthodoxa fides, quæ humanum genus sola viuificat, sola sanctificat, in monte illo sancto, in vna & immutabili semper maneat confessione veritatis, & dissensiones quæ aduersus ecclesiam de terrenarum opinionum varietate nascuntur, & a petra illius soliditate disungunt ad montem illum redeunt, exterminantur & eradicentur: quo fit, vt ad eius gremium confluentes populi atque nationes, in vnam cum ipso conueniant fidei veritatem.

Hæc autem Dei munera tam magna, tam excelsa, tam insolita, non meritis nostris profecto conspiciere, ipsius bonitatis immensitas, sed sua sola benignitate & dignatione concessit, vt post vnionem Græcorum in sacro œcumenico Concilio Florentino, qui cum Romana ecclesia in quibusdam articulis discrepare videbantur, ac post reductionem Armenorum & Iacobitarum, qui variis opinionibus inuoluti, omni tandem dissensione relicta, in vnam rectam veritatis semitam conuenerunt. Ecce nunc iterum, ipso cooperante Domino, alia nationes de longinquis conuenerunt, inter Tigrim & Euphratem Mesopotamiam habitantes, quæ de processione Spiritus sancti & aliis quibusdam articulis non recte sentiebant. Multa igitur nobis & omnibus Christi fidelibus est causa lætandi, quia iam annuente Domino, Romanæ ecclesiæ splendidissima de fidei veritate assertio, quæ munda semper fuit ab omni macula falsitatis, etiam apud orientem ultra Euphratis terminos, nouis coruscationibus micat, adeo vt venerabilem fratrem nostrum Abdalam archiepiscopum Edeßæ, venerabilis fratris nostri Ignatii patriarchæ Syrorum, atque totius nationis suæ legatum ad hanc vsque almam Urbem, ad præsentiam nostram & sacrum hoc Lateranensè Concilium traxerit & vocarit, humiliter & deuote postulantem, vt eam fidei

*Concil. Tom. 33.*

Gggg

regulam, quam sacrosancta Romana profitetur ecclesia, eidem traderemus.

Nos autem, qui inter cunctas sanctæ sedis apostolicæ sollicitudines hanc primam & præcipuam curam gerimus, prout semper gessimus, euangelii scilicet defendere veritatem, & orthodoxam fidem, exterminatis hæresibus, longe lateque diffundere & propagare, quosdam ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus delegimus, qui accersitis ex hoc sacro Concilio aliquibus in sacra pagina magistris, cum prædicto archiepiscopo de difficultatibus, dubiis & erroribus illius nationis conferrent, illumque ipsum examinarent, ac ei catholicæ veritatis disciplinam aperirent, & tandem de integritate fidei ecclesiæ Romanæ plene illum instruerent & docerent. Quem cum per omnia de fide & moribus recte sentientem inuenissent, tribus dumtaxat exceptis articulis, de processione scilicet Spiritus sancti, de duabus in Christo Iesu saluatore nostro naturis, ac totidem in illo voluntatibus & operationibus, veritatem illi fidei orthodoxæ patefecerunt, aperuerunt sacrarum literarum intellectus, attulerunt sanctorum doctorum testimonia, & quæ materiæ congruebant, rationes verissimas induxerunt. Quorum intellecta doctrina, archiepiscopus ipse dubitationibus suis omnibus plene satisfactum esse contestans, tam de Spiritus sancti processione, quam de duabus naturis & duabus voluntatibus & operationibus in Christo Iesu Domino nostro talia sentire professus est, vt veritatem fidei plene intelligere videretur, profitereturque se nomine præfati patriarchæ, totiusque nationis & suo, omnem fidem omnemque doctrinam suscipiturum, quam eidem hoc sacro approbante Concilio traderemus.

Propter quæ omni in Christo exultatione perfusi, gratias immensas Deo nostro effudimus, quia votum nostrum in salutem nationis illius videmus adimpletum. Diligenti itaque cum fratribus nostris & sancto Concilio tractatu præhabito, fidem & doctrinam, quam sacrosancta Romana tenet mater ecclesia, eodem sacro approbante Concilio, eidem archiepiscopo præfatis nominibus recipienti tradere & assignare decreuimus.

Hæc est igitur fides, quam semper sacrosancta Romana tenuit, prædicauit & docuit mater ecclesia, quamque ad præsens tenet, prædicat, profitetur & docet. Hanc dictum Abdalam archiepiscopum vice & nomine præfati patriarchæ Syrorum totius nationis illius, atque suo, in iis tribus articulis suscipere, & perpetuis in futurum temporibus custodire & obseruare decernimus.

In primis, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tamquam ab vno principio & vnica spiratione procedit. Tenet insuper, profitetur & docet, vnum eundemque Dei & hominis filium Dominum nostrum Iesum Christum esse perfectum in deitate & perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem. In nouissimis autem diebus eundem propter nos & propter salutem nostram ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem natum, vnum eundemque Christum verum Dei Filium vnigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, siue diuisum, sed vnum & eundem Dei & hominis Filium Dominum nostrum Iesum Christum.

Credit insuper, profitetur & docet in vno Domino Iesu Christo duas naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum patrum doctrinam: duas etiam naturales voluntates, vnam diuinam, alteram humanam; non contrarias, sed humanam eius voluntatem subiectam eius diuinæ atque omnipotenti voluntati. Et quemadmodum eius caro animata sanctissima deificata est, non perempta, sed in proprio sui statu & ratione permansit; ita humana eius voluntas deificata est, non perempta, sed saluata magis est atque perfecta. Hanc fidem eundem Abdalam archiepiscopum nominibus quibus supra suscipere, corde tenere, & ore profiteri debere decernimus.

Ordinamus insuper atque decernimus, vt eisdem nomi-

*Concil. Tom. 33.*

Gggg ij

nibus recipere & amplecti debeat quæcumque per sacrosanctam Romanam ecclesiam definita & sancita diuersis temporibus sunt, præsertimque decreta Græcorum, Armenorum atque Iacobitarum in sacro Concilio œcumenico Florentino edita, quæ cum in Arabico traducta ipse Abdala archiepiscopus accurate legisset ac laudasset, ad vberiolem & pleniolem omnium eruditionem sibi nominibus quibus supra recipienti consignari fecimus: quoscumque etiam doctores & sanctos patres sacrosancta approbat & suscipit Romana ecclesia, nominibus quibus supra, approbare & suscipere debeat; & quascumque personas, seu quidquid aliud ipsa damnat & reprobat, pro damnatis & reprobatis, nominibus quibus supra, habere debeat. Promittens tamquam verus filius obedientiæ, nominibus quibus supra, ipsius apostolicæ sedis ordinationibus & iussionibus, medio iuramento, deuote semper & fideliter obedire.

Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis & ordinationis infringere, &c. Si quis autem, &c.

Datum Laterani in publica sessione synodali anno incarnationis dominicæ 1444. pridie Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

*Sequitur constitutio pro Chaldæis & Maronitis, eodem sacro Lateranensi approbante Concilio.*

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Num. XX.

**B**ENEDICTVS sit Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui vota & pia desideria nostra, quibus pro debito nostri pastoralis officii salutem & vnitatem Christiani populi anhelamus, & continuis, quantum ex alto nobis permittitur, operibus confouemus, multis magnisque fauoribus in dies prosequitur, & vltra quam mereamur, felicitibus comitatur effectibus. Sane post celebratam in œcumenico Concilio Florentino orientalis ecclesiæ cum occidentali vnionem, post Armenorum, Iacobitarum & Mesopotamiæ populorum reductionem, venerabilem fratrem nostrum Andream archiepiscopum Colossensem ad partes orientis & Cypri insulam destinauimus, vt & Græcos &

Armenos & Iacobitas ibidem degentes prædicationibus suis, & decretorum pro eorum vnione & reductione editorum expositionibus & declarationibus, in suscepta fide confirmaret, & quos ex aliis sectis a vera doctrina alienos, tam Nestorii, quam Macarii sectatores inueniret, monitionibus & exhortationibus ad fidei veritatem reducere conaretur: quod pro sua sapientia, aliisque virtutibus, quibus eum largitor gratiarum Dominus insigniuit, diligentissime prosecutus, post diuersas multiplicisque disputationes, post varios tractatus, eliminata tandem ex eorum cordibus primum omni Nestorii impietate, qui purum hominem Christum esse, & beatissimam virginem non Dei, sed Christi genitricem asseuerabat: deinde Macarii Antiocheni impiissimi, qui quamquam Christum verum Deum & hominem esse profitebatur, diuinam tamen solum in eo voluntatem & operationem, humanitati eius parum tribuens, esse asseuerabat: venerabiles fratres nostros Timotheum metropolitam Chaldæorum, quos ad hæc vsque tempora Nestorianos, eo quod Nestorium sequebantur, in Cypro vocauerunt; & Eliam episcopum Maronitarum, qui cum sua natione Macarii dogmatibus in eodem regno infectus, cum omni multitudine populorum & clericorum in insula Cypri ei subiecta, ad veritatem fidei orthodoxæ, diuino sibi assistente numine, conuerti, fidemque & doctrinam, quam semper sacrosancta coluit & obseruauit ecclesia, eisdem præsulibus & omnibus ibidem eis subiectis tradidit, quamque præfati præfules in publica & magna congregatione diuersarum nationum in eodem regno existentium in metropolitana ecclesia sanctæ Sophiæ habita, summa cum veneratione susceperunt. Quo facto, Chaldæi quidem præfatum Timotheum suum metropolitam, Elias vero Maronitarum episcopus nuntium, de fide Romanæ ecclesiæ, quæ Domino prouidente, & beato Petro apostolo opem ferente, semper immaculata permansit, solennem professionem emissuros ad nos vsque miserunt, & coram nobis in hac sacra œcumenici Lateranensis Concilii generali congregatione fidem ipsam atque doctrinam Timotheus ipse metropolita primum in lingua sua Chaldæa Græce interpretatam, & de Græco in

Gggg iij

Latinum traductam reuerenter & deuote, vt sequitur, professus est.

Ego Timotheus archiepiscopus Tarfensis, Chaldaeorum qui in Cypro sunt metropolita, pro me meisque omnibus in Cypro existentibus populis profiteor, voueo atque promitto immortali Deo Patri & Filio & Spiritui sancto, demum tibi sanctissimo ac beatissimo patri Eugenio papæ IV. & huic sacrosanctæ apostolicæ sedi, & sanctæ huic & venerabili congregationi, quod de cetero semper manebo sub obedientia tua & successorum tuorum, ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, tamquam sub vnica matre & capite omnium aliarum. Item, quod de cetero semper tenebo & profitebor, Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio, sicut docet & tenet sancta Romana ecclesia. Item, quod de cetero semper tenebo & approbabo duas naturas, duas voluntates, vnam hypostasim, & duas operationes in Christo. Item quod de cetero semper confitebor & approbabo omnia septem sacramenta ecclesiæ Romanæ, prout ipsa tenet, docet & prædicat. Item, quod de cetero nunquam in sacra eucharistia oleum apponam. Item, quod de cetero semper tenebo, confitebor, prædicabo & docebo quidquid tenet, confitetur, docet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, & quidquid ipsa reprobat, anathematizat & damnat, reprobabo, anathematizabo & damnabo, specialiter impietates & blasphemias nequissimi hæresiarchæ Nestorii, & omnem aliam hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam.

Hæc est fides, pater sancte, quam tenere & obseruare, ac teneri & obseruari facere ab omnibus suppositis meis voueo atque promitto, & vnumquemque illam respicientem, & contra eam sese erigentem priuare omnibus bonis & beneficiis suis, eundemque excommunicare, & hæreticum & damnatum denunciare; & si pertinax fuerit, degradatum curiæ tradere sæculari spondeo, polliceor atque promitto.

Deinde similem per omnia professionem dilectus in Christo filius Isaac nuntius venerabilis fratris nostri Eliæ episcopi Maronitarum, ipsius vice & nomine, reprobando

do Macarii de vnica voluntate in Christo hæresim, cum multa veneratione emisit.

Pro quarum quidem professionum religione, & tantarum animarum salute, Deo & Domino nostro Iesu Christo, qui temporibus nostris tanta fidei incrementa largitur, tot Christianis populis beneficia donat, gratias immensas agentes, easdem professiones recipimus & approbamus, ac eosdem metropolitam & episcopum in Cypro, & subiectos, ad gremium sanctæ matris ecclesiæ suscipimus, ac ipsis manentibus in præfata fide, obedientia & deuotione, his gratiis & priuilegiis insignimus.

In primis, quod nemo prædictos Chaldæorum metropolitam & Maronitarum episcopum, eorumdemque clericos & populos, neque ex populo & clero quempiam de cetero audeat hæreticos appellare, aut Chaldæos de cetero Nestorianos nominare præsumat. Quod si quispiam mandati huius contemptor extiterit, iubemus ab eius ordinario excommunicari tam diu, quam diu distulerit condigne satisfacere, aut ordinarii arbitrio aliqua alia temporali pœna mulctari.

Item, quod præfati metropolita & episcopus, eorumque successores in omnibus & quibuscumque honoribus, episcopis a communione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ separatis continuo præferantur.

Item, quod possint de cetero censuras in suos subditos exercere, & quos de cetero rite excommunicauerint, pro excommunicatis; & quos absoluerint, pro absolutis ab omnibus habeantur.

Item, quod præfati præsules & sacerdotes, & clerici eorum, libere possint in ecclesiis catholicorum diuina celebrare, & catholici in ecclesiis eorumdem.

Item, quod de cetero præfati præsules & clerici, & laici eorum vtriusque sexus, qui vnionem & fidem hanc susceperint, possint in ecclesiis catholicorum sepulturas eligere, & cum catholicis matrimonia more Latinorum catholicorum contrahere, & omnibus beneficiis, immunitatibus & libertatibus gaudere & frui, quibus ceteri homines catholici tam laici, quam clerici in dicto regno potiuntur & gaudent.



Nulli ergo, &c. nostræ receptionis, approbationis, susceptionis, insignitionis & iussionis infringere, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno, &c. 1445. VII. Nonas Augusti, pontificatus nostri anno 15.

Num. XXI.

Hæc omnia Basileenses in peiorem partem sumentes, *inquit Augustinus Patricius in præfato compendio sessionis 42.* prædicabant, Eugenium Concilium Romam transtulisse, ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania pro voluntate principum celebrandum, quoniam nullo pacto vellet Concilium extra Italiam: tum etiam, ut ostenderet se summum imperium habere supra Concilium, quod de loco ad locum pro suo arbitrio transferret, ut fecerat ex Basilea Ferrariam, ex Ferraria Florentiam, & inde demum Romam: quæ omnia tenderent ad enervationem auctoritatis ecclesiæ & Conciliorum. *Hæc Patricius de Basileensibus.*

*At vero Eugenius summus pontifex uniuersali Concilio præsidens, nationes & regna ad apostolicæ sedis obedientiam reduxit; atque ad ipsum in vertice montium, & episcopum episcoporum constitutum, iuxta prophetæ vaticinium, stuebant omnes gentes; tabescentibus interim Basileensis Conciliabuli sub prætextu reformationis schismaticis, ut iuxta eiusdem prophetæ oraculum viderent & confunderentur zelantes populi.*

#### AD LECTOREM.

**Q**VIA sæpe in notis ad Concilium Florentinum plura adduximus testimonia ex opusculis Bessarionis, & præsertim ex epistola ad Alexium Lascarum de successu eiusdem Florentini Concilii, & processione Spiritus sancti, & ex oratione de unione ad suos Græcos Florentiæ habita, eaque hic in fine operis edere promisimus, bona fide exhibemus, cum Vaticanis manuscriptis codicibus collationata & emendata: in quibus habetur, fuisse non solum a Bessarione Græce conscripta, sed & ab eodem latinitate donata, imo & aucta. Vale.

BESSA-

## BESSARION

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE CARDINALIS,  
magno & clementissimo viro Alexio Lascari  
Philanthropino.

*De successu Synodi Florentinae, & de processione  
Spiritus sancti.*

## CAPVT I.

**T**v quidem non humanis solum rebus, verum etiam  
diuinis summopere studens, meditationeque scriptu-  
rarum teipsum oblectans, non cessas & ipse per te fidei  
veritatem inquirere, & nos adhortari, vt pro posse o-  
pem tibi feramus ad eam inuestigandam atque inueni-  
endam. Ego vero cum pigritia quadam, tum vel maxi-  
me quia libenter similes labores deposui, propterea quod  
sæpius de hac re sermonem habui cum nostris homini-  
bus, qui pluris suam superstitionem & ignorantiam fa-  
ciunt, quam veritatem, inuitus hoc rursus subeo certa-  
men, quamquam ad te scripturus, qui sapientia & humi-  
litate ornatus, non magis tentandi, quam veri inuestigandi  
gratia, hæc a me petis. Ipsam item auctoritatem sacri Con-  
cilii simpliciter satis esse puto ad persuadendum quem-  
quam, & inducendum ad eius conclusionem humili cor-  
de capeffendam atque credendam sine quacumque con-  
tradictione vel ambiguitate: cum tot hominum conuen-  
tum, qui sapientia, scientia & omni virtute præditi fue-  
runt, quorum in medio adfuisse Spiritum sanctum vt cre-  
damus necesse est, veritatem latuisse minime credendum  
sit. Præterea memini longam ad te alias dedisse epistolam,  
omniaque satis tetigisse quæ nunc quæris. Et ipsam ete-  
nim quæstionem per seipsam probaui, quod scilicet Spi-  
ritus sanctus a Patre Filioque procedit; & quæ videbantur  
sequi inconuenientia solui, & de aliis omnibus quæ tunc  
etiam petiisti, reddidi rationem: ita vt non sit opus plu-  
ribus verbis, præsertim tibi, qui tantam in huiuscemodi  
habes experientiam, vt paruis etiam principiis habitis,  
multa magnaque possis ex teipso percipere. Cum vero

*Concil. Tom. 33.*

H h h h

aliquid plus a nobis exoptules, non propter teipsum fortassis, cum ipse idem nobiscum sapias, sed propter contentiosos & veritatis aduersarios, nos, tum quia parati ad satisfactionem esse debemus omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est fide, secundum Apostolum; tum vt amicitia nostræ satisficiamus, spe etiam ducti aliquorum vtilitatis, qui hæc legent, morem tibi gerere proposuimus. In primis itaque auctoritates sanctorum patrum & doctorum occidentalium tibi mittimus, quibus apertissime ex Patre & Filio Spiritum sanctum procedere affirmant, & ambos vnum eius esse principium: quæ cum plurimæ sint, & cunctis eorum in libris sparsæ, pauca nos tibi modo mittimus, quibus tamen similes alias etiam omnes esse scias. Deinde quemdam nostrum sermonem, cui dogmaticum, aut de vnione titulum imposuimus, tibi mittendum iudicauimus, quem paulo ante sacram vnionem, tamquam vltimam meæ opinionis atque sententiæ declarationem edidimus, quemque mitissimo nostro imperatori & patriarchæ reuerendissimo omnibus nostris præsentibus legendum dedi, cum inter nos vltimatim considerarem quid fiendum esset, & sententias aliorum de re vnionis scrutaremur. In quo ex ipsismet orientalibus patribus & doctoribus nostris, omiſſis omnino occidentalibus, pro posse quæstionem propositam declaravi atque probavi: quem tamquam & tibi potissimum, & si quis alius sine contentione audiet & perleget, maxime profuturum tuæ nobilitati mitto, clementissime ac splendidissime vir. Cum vero in iis nihil laboris ad præsens adhibuerimus (iam enim erant edita) tuo autem amore nunc quoque aliquid lucubrationis proposuerimus suscipere, vltra hæc etiam aliquid plus tui gratia tibi scribemus. Quare quam breuiter omnem sacri Concilii processum vnionisque sacræ modum tibi narrabo, ac aliquas rationes, quibus dogma propositum probabitur, afferam, & sic finem imponam. Sed antequam de iis dicam, paruum quiddam, non tamen parui, imo vero maximi existimandum iis procæmiis addam; supplebo quod prædicto sermone dogmatico deest, verborum multitudinem futura vtilitate compensans. In illo itaque dogmatico sermone ex orientalibus dumtaxat doctoribus volens huius quæ-

stionis veritatem probare, vnam quamdam auctoritatem beati Basilii, quæ sola omnibus aliis, quoad propositum ostendendum, antecellit, omisi, propterea quod ab aliquibus dubitabatur, an esset beati Basilii: non quia ego quoque aliquid dubii de ea habuerim, (minime) sed quia apud alios dubitabatur, nolui dubio vti. Hæc autem est, qua in tertio contra Eunomium suorum librorum beatus ille vsus est. Cur enim necesse est (inquit) si ordine ac dignitate tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse a Filio, cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit.

*Capitur causa pro principio, causatum vero pro eo quod a principio est, & non vt causa & causatum limitationem important, prout Latini accipiunt, cum talia remouent a diuinis, veluti imperfectionem sonantia. Dependere quoque sumitur pro accipiendo esse, & non vt notat essentialem distinctionem, prout Latini accipiunt, cum aiunt nullam in Deo dependentiam ponendam propter diuinæ essentiæ unitatem summam.*

Hoc igitur omisimus in dogmatico nostro sermone ponere. Ita vero ego certe teneo, sancti Basilii hanc esse auctoritatem, quemadmodum & alios eius contra Eunomium libros: quibus autem rationibus, tu quoque audias. Cum in hac Synodo nostra sex inter nos volumina huius operis contra Eunomium haberemus, quatuor in membranis antiquissima, quorum tria quidem Mitylenensis archiepiscopi erant, quartum Latinorum: duo vero in papyro, quorum vnum serenissimi erat imperatoris, aliud reuerendissimi patriarchæ, quod a monasterio Xanthopulorum commodo accipiens, secum portauerat. Quorum, inquam, sex voluminum quinque ita habebant hanc auctoritatem, vti ego nunc allegaui. Videlicet, qui ab ipso, hoc est, Filio habeat esse Spiritus, & ab eo tamquam a causa dependeat. Vnum vero dumtaxat, quod videlicet apud patriarcham erat, hac auctoritate carebat, in quibusdam partibus eius diminutum, in quibusdam superabundans, prout corruptoris, quicumque ille fuerit, mens & manus voluit. Demum post celebratum sacrum Concilium, & nostrum ad urbem Constantinopolitanam reditum,

cum proposuiffemus omnes illorum facrorum locorum bibliothecas, tum huius libri sancti Basili, tum aliorum gratia inquirere, quæcumque noua volumina reperi post hanc contentionem scripta, omnia manca prædicta auctoritate reperi. Quæcumque vero antiquiora erant, & antequam hoc bellum oriretur scripta, hæc vero sana & integra cum auctoritate prædicta manent, quæ non pauciora sunt quam illa quæ passa fuerant corruptionem. In quibus etiam aliquid reperi, quod & plangendum simul & mirandum est. Mirandum quidem, si quis volens ad hæret falso, ipse illud fingens, & præsertim veritatem celando, cum intellectus naturaliter veritatem habeat pro obiecto: plangendum vero, quod aliqui sint ita fidei veritatem parui facientes, sine qua est impossibile hominem saluum fieri, vt non solum eius inuestigationem contemnant, verum etiam cum clare appareat, eam celare, opprimere atque peruertere conentur. Hoc autem tale quid erat. Vna cum aliis duos etiam quosdam libros sancti Basili offendi apud monasterium Christi saluatoris Pantepopti, vnum in pergameno antiquissimum, vt videbatur; quanti vero temporis, ignoro; non enim erat annus inscriptus: aliud in papyro ante trecentos annos scriptum: erat enim in fine tempus notatum, ex quo certe habetur tantum temporis præteriisse ab eius initio: & libri adhuc extant, nisi postquam eos publicauerim, e medio sublati fuerunt ab illis, qui omnia contra suam ipsorum salutem machinantur. Hæc ambo, vt nos allegauimus, habebant sancti doctoris auctoritatem inscriptam. Quidam autem animi audacis, audacioris etiam manus, a membranis quidem ferro veritatem deleuit: quamquam nihil ei temeritas profuit, cum & locus vacuus manens, & syllabarum medietates adhuc existentes, & illius audaciam accusent, & veritatem nihilo minus ostendant. In papyreo vero volumine atramento perfuso totam illam partem operuit, qua dicitur ab eo tamquam a causa dependere. At post aliquot annos, cum hic liber in manus incidisset illius sapientissimi viri Demetrii Cydonii, auctoritas prædicta reintegrata est. Ille enim eam propria manu in margine illius libri adscripsit, audaciam corruptoris digne reprehendit: in tantam infamiam, tenebras & ignorantiam nostros homines pepulit

eorum contentio. Deinde dicere audent, quod Latini, nostrorumque Veccus, & alii qui Latinos secuti fuerunt, libros corruperint, præsertim cum auctoritas hæc tantum ornatum, tantam gratiam & eloquentiam Atticam præ se ferat, vt non modo Latinos aliquid simile cum tanta gratia in lingua peregrina & Græca non posse componere, sed neque Græcos quidem præter ipsum Basilium. Latinis etenim lingua propria, generaue dicendi a nostris diuersa impedimento sunt, ne aliquid ita ornate in nostra lingua conscribant. Quemadmodum etiam nostris impossibile est aliquid æquali gratia & ornatu atque Latini in lingua Latina scribere, quantumcumque vel Græci in Latina, vel Latini in Græca lingua profecerint. Cuius rei tum ego, tum alii de nostris digni sumus testes, qui Latinam utcumque mediocriter intelligimus linguam, nil tamen quod ornatum, Latineque compositum sit, scribere possum. Clare itaque patet, qui modos dicendi, stylum, eloquentiam, & alia iudicare sciunt, ipsius Basilii & eius limatæ linguæ, hanc auctoritatem, & nullius alterius esse. Præterea cum Veccus paucis ante annis fuerit, libri vero multo eo antiquiores sint, falsam hanc accusationem & vanum refugium probant. Item hoc idem aliunde probatur. Vir quidam apud Latinos maximæ reputationis Hugon nomine, antiquus, & longe ante tempora nostra (præteriti sunt namque fere ccc. anni, ex quo fuit) cum de processione Spiritus sancti scriberet, hanc etiam auctoritatem sancti Basilii ad hanc conclusionem probandam inducit. Hoc autem non Latine scriptum videns dico, verum Græce apud Constantinopolim in quodam libro Græco, non ipsius Hugonis, sed cuiusdam Nicetæ archiepiscopi Thessalonicensis, qui ipsi Hugoni contradicit, quamquam ipse Thessalonicensis idem cum Latinis sapiebat. Quod enim Spiritus sanctus ex Patre Filioque procederet, credebat: contendebat vero, vt vulgo dicitur, de umbra asini, neque ipsum verum asserens, licere symbolo addi, rem magnæ profecto deuotionis & sapientiæ, ac si diceret, non oportere veritatem publice prædicare. Hæc autem longius narraui, volens probare, fuisse quidem corruptionem in libris, verum non a Latinis & illorum sequacibus, sed econtra a contendentibus cum

Hhhh iij

Latinis; corruptionemque non per additionem solum, sed interdum per minutionem factam fuisse. Ita ut nullus amplius possit Veccum & similes causare, cum libri multo ante quam fuerit Veccus, veritatem clare probarent. Et hæc quidem a tempore ita indubia & vera sunt signa: ab ipso etiam genere dicendi suavissimo & ornatissimo stylo patet, nullius alterius quam Basilii debere credi istam auctoritatem esse. Attamen ab ipsa etiam sententia, & sequentium ad præcedentia connexu id ipsum clare patebit, si quis attente consideret. Cum Eunomius ex eo, quod Spiritus sanctus tertius ordine dignitateque diceretur a quibusdam doctoribus, tertium etiam eum natura colligeret, sanctus Basilius conclusionem hanc ægre ferens, media tamen non negat, quod scilicet Spiritus sanctus tertius esset dignitate & ordine. Nam etsi contra Eunomium clamans, ait: Qui vero ii sancti fuerint, & in quibus eorum sermonibus hoc docuerint, dicere non audet: non ideo hoc dicit, quia negat Spiritum sanctum tertium ordine esse, vel dici a sanctis, quemadmodum nostri non recte putant. Sic enim sibi ipsi etiam & veritati contraria diceret: sed illius temeritatem ægre ferens, & conclusionem hanc repellens, quod scilicet Spiritus sanctus tertius etiam esset natura, exclamavit dicens: Qui vero ii sancti fuerint, & in quibus eorum sermonibus hoc docuerint, dicere non audet. Non quia non fuerint qui hoc dixerunt, sed quia si eorum auctoritatem expresse allegasset, manifeste apparuisset, non potuisse hanc absurdam sequi conclusionem ex dictis eorum. Scimus etenim quod ex vno etiam vocabulo, vel dictione ablata, superaddita, vel postposita, tota intentio atque sententia scriptoris mutatur: & e conuerso cum fideliter allegatur, clare mens eius probatur, ita ut non liceat malignantibus conclusionem inferre, quæ præcedentibus non conueniat. Quare si Eunomius etiam allegasset auctoritatem sanctorum, non licuisset ei concludere quod concluserat. Nam etsi tertium esse Spiritum sanctum doctores concedunt, tertium tamen eum esse natura negant expresse. quare malignitatem eius detestans, infert: Fuitne vnquam ita temerarius aliquis, qui diuina dogmata peruerteret, atque innouaret? Et patet, quod nouitatem hic nominat, tertium esse natura Spiri-

tum sanctum, non autem ordine & dignitate: nempe enim seipsum appellasset nouarum rerum auctorem, & sibi ipsi contraria diceret. Ipse enim est, qui præcipue nobis credere tradidit, Spiritum sanctum tertium esse ordine & dignitate, & hanc auream catenam ordinis nos docuit. In iis enim contra Eunomium sermonibus suis, dignitate namque, ait, secundum esse a Filio, videlicet Spiritum sanctum, cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit. Huius enim auctoritatis, etsi non totam, partem tamen admittunt nostri, cetera abscindentes, ac ita eam allegantes: Dignitate etenim secundum esse a Filio tradit fortasse ratio pietatis: addentes, fortassis, vt orationem dubiam reddant; quæ dubietas omnino aliena a mente sancti Basilii per nos probabitur. Hæc enim non per impossibile sanctus ille doctor infert, quemadmodum aliquibus ignoranter visum est, scilicet vt veram sanctæ scripturæ, suamque opinionem exponens, considerat quod frequens est, tertium ordine clare ponens Spiritum esse, tertium vero natura tamquam impium repellens. Audi etenim quæ ad eiusdem probationem dicit: Quemadmodum enim, inquit, Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo; & dignitate, quoniam origo & causa effendi ei, cum eius Pater sit; natura vero nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est deitas: ita videlicet etsi dignitate & ordine secundus a Filio est, non tamen alienæ ipsam naturæ esse inde consequetur. His etiam verbis aliqui addiderunt, quamquam concedendum non sit; quo nihil magis contrarium est intentioni beati Basilii, qui in epistola ad canonicas clarissime, Spiritus sanctus, inquit, Patri quidem & Filio connumeratur, cum supra omnem creaturam sit: ordine vero tertius est, vt euangelia nos docent, Domino dicente: *Euntes in vniuersum mundum, baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Qui autem eum præponit Filio, aut superiorem Patre dicit, hic contradicit Dei traditioni: alienus vero a fana fide est, quam accepit, laudationis formam non seruans. Et post pauca: Quare si quis hunc ordinem peruertit, ipsam personarum existentiam totamque fidem negat. Si igitur hæc verba hæsitantis & dubitantis circa ordinem

Marc. 16.  
Matth. 28.



sint, & eius qui suam sententiam sub dubiis, & cum fortassis, & quamquam concedendum non sit, proferat, tuum sit iudicium, & aliorum qui recti iudices sunt, & aliquatenus intelligunt vim rationum & dogmatum veritatem. Deinde non pudet eos tantæ cōtrarietatis sanctum doctorem accusare, imo vero ignorantia, si modo quidem tertium; vt non liceret absque crimine impietatis & totius fidei peruersione hunc ordinem mutare; modo fortassis eum esse secundum a Filio dicat, & alia huiusmodi. Ego vero, teste Deo, vicem eorum qui hæc autumant doleo, & pro eis me pudet. Si vero ipsi non sentiunt, mirum est profecto. Quod autem omnem eorum impudentiam enervat, hoc est, quod in his contra Eunomium rationibus suis post multa concludens hic doctor infert: Ita & Spiritus sanctus dignitate quidem & ordine secundus post Filium est: accepimus enim eum tertium a Patre & Filio numeratum, ipso Domino in traditione baptismatis salutaris hunc ordinem docente, cum dixit: *Euntes baptizate*, &c. Animaduerte igitur quod omnibus argumentis in epistola ad canonicas ordinem in Trinitate probat, salutaris scilicet baptismatis traditione, eisdem etiam hic eundem ordinem demonstrat. At in epistola ad canonicas tanta cum certitudine hunc asserit ordinem, vt eum qui aliter diceret, impium assereret. Quo igitur modo hic, vbi eisdem argumentis vtitur, cum hæsitacione & dubitatione loqueretur? Verum hæc prauorum hominum & impiorum, non illius sanctissimi viri sunt. Nulli itaque dubitandum est, sancti patris nostri Basilii hanc esse auctoritatem, Spiritum scilicet sanctum ordine & dignitate secundum a Filio esse, ipsumque esse habere ab eo, & ab eo tamquam a causa dependere. Quod cum ita sit, quis amplius aliquid aliud quærit? Nonne solus Basilius sufficiens est omnem nos docere veritatem? Nonne tantum & humana & diuina sapientia participauit, vt etiam solus sufficiens sit toti causa doctor ac magister? Et quamquam hæc veritas, quod Spiritus sanctus videlicet etiam ex Filio procedit, ex iis etiam nudis huius doctoris verbis manifeste appareat; non tamen ab re esse iudicati, ipsius eius verbis præsuppositis syllogismum quemdam ad eam veritatem probandam inferre. Dicit igitur Filium secundum a  
Patre

Patre ordine & dignitate; hoc autem nostri etiam concedunt: sed animaduerte quonam modo secundus a Patre fit Filius ordine & dignitate: idem enim infert, propterea quod ab eo est, & quia principium & causa eius est Pater. Quare quod in diuinis personis secundum ordine & dignitate ab aliquo est, ideo secundum ab illo est, quia est ab illo. Hoc vero in naturalibus etiam rebus manifestum est. Omne enim quod ab aliquo natura secundum est, etiam ab eo est. Si quis dicat calorem produci a sole post radium, non tamen calorem produci a radio, quamquam sit natura secundus post radium: Respondetur, in creaturis quidem quod natura secundum alteri est, ab eo esse, vel tamquam a causa effectiua, vel tamquam a causa sine qua non, vt in exemplo producto. In Deo cum non prius tempore procedat a Patre Filius, quam Spiritus; si Spiritus est natura secundus Filio, oportet quod ab eo sit tamquam a causa effectiua. Sumimus autem hic, & in toto hoc opere, causam pro producente more doctorum Græcorum. At Spiritum quoque sanctum ordine & dignitate secundum a Filio idem ait: quod autem non quasi dubitans, vt quidam somniant, imo vero certo tenens in epistola ad canonicas clare videtur. Ex iis igitur tale fit argumentum: Omne quod in diuinis personis alio secundum est, ab eo est: Spiritus vero sanctus secundus a Filio est; igitur a Filio est. Quod si volueris magis generaliter argumentari, in hunc modum tibi dicendum est: Omne quod a natura secundum aliquo est, ab eo est: Spiritus vero natura secundus est a Filio dignitate & ordine; igitur Spiritus ex Filio est. Quod autem Spiritus natura est ordine secundus a Filio, patet; nihil enim est in sancta Trinitate præter naturam, neque per accidens. Et caue ne te scandalizet hæc dictio, natura, cum Spiritum natura secundum a Filio audias. Non enim secundum naturam secundum illum dicimus, vt alterius naturæ illum esse ostendamus, prout Eunomius faciebat: sed natura dicimus, excludentes accidens & quod præter naturam est. Hoc autem sanctus quoque Athanasius testatur, qualem ordinem & naturam habet Filius ad Patrem, talem ordinem & naturam Spiritum quoque sanctum ad Filium habere docens. Duo enim hæc per hanc auctoritatem probantur, &

quod tertius a Patre Spiritus sanctus est ordine, & secunda a Filio, quodque natura est hic ordo. Sed hæc quidem ex auctoritatibus sancti Basilii luce clarius probata sunt, quæ longo sermone data opera exposui; cum non parua nos inde sequatur utilitas, imo vero totum hæc sola verba possint. Siquidem solus Basilius sufficiens est ad docendum nos fidei veritatem. Iam vero ad promissa me transferam, & omnem tibi processum sacri Concilii breuiter narrabo; deinde aliquas demonstrationes huius veritatis in medium afferam, & sic finem faciam.

*Narratio eorum quæ in Concilio facta fuerunt.*

CAPVT II.

**I**LLA igitur, de quibus Ferrariæ, vbi, vt notum vobis est, primo appulimus, ante inchoationem Concilii priuatim disputauimus, tamquam non necessaria omittam, cum etiam nobis illa terendi temporis gratia potius, & illos expectandi qui venturi erant ad Concilium, propofita fuerint, quam quod necessaria essent. Tempore vero adueniente visum est nostris in duas partes propositam quæstionem diuidere. Vnam, quod nec ipsam etiam veritatem liceret addere symbolo patrum: alteram, quod nec fit verum, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Et cum hoc placuisset, demum quærebatur, a quonam incipiendum esset; & communi aliorum sententia visum fuit inde incipere: Quod nihil fit addendum symbolo patrum: quamquam ipse manifeste contradicebam. Aiebam enim aut probabilius hoc altero esse, aut e contra: & siquidem minus probabile esset, non decere a debilioribus incipere, ita vt victos & profugatos nos in primo certamine deterritos, deinde secundum subire, ne fortassis isthæc profligatio etiam, vt secundam partem perderemus, causâ fieret. Quod si probabiliorem illam partem putaremus, oportere eam posteriorem seruare. Si enim in prima quæstione vinceremus, etiam secundam fortiori animo aggredieremur: quod si primam perderemus, illam videlicet, quæ Spiritum sanctum etiam a Filio procedere ponit, tunc saltem in secunda vinceremus, neque ipsam veritatem licere addere ostendentes. Præterea cum in natura etiam, quod fieri per pauciora potest, non fiat per plura;

frustra enim esset: frustra vero nec Deus, nec natura facit: illud proponendum dicebam, & de illo primum disputandum, post quod alteri non relinquitur locus. Si igitur ipsum dogma falsum esse probarem, illud addere non licere, manifestum esset, nec probandum esset, non licere illud addere. Quare vno certamine totum perficimus, aiebam, si incipiemus a dogmate, & illud falsum esse probare poterimus. Quod autem nec ipsam veritatem liceret addere, probato, restabit adhuc ipsum dogma, verumne, an falsum sit, probare. Hæc autem cum dicens persuadere nostris non potuissem, scilicet de illo primo velent omnino disputare, propterea quod putabant hanc probabiliorem partem, volens eos dehortari, dixi in contrarium quatuor rationes dumtaxat, præsentis sapientissimo imperatore nostro, quas Latini etiam postea adduxerunt, quasque inter rationes per Latinos inductas audies; quibus probabam & huius rei falsitatem, & quod ridiculum sit putare veritatem non licere addere: quas etsi nullus præsentium soluere potuerit, quod tamen volebant, hoc statuerunt, & ego sequebar dicere quæ expedirent nationi & honori eius, putans me debere Deo & ipsi nationi, deinde vero maiorem partem sequi, & vna cum eis certamen subire. Sequebatur etiam serenissimus imperator, licet ei non placeret hoc consilium, veritus tamen ne quis ignorantium eum putaret vim aliquam eis inferre. Incepimus igitur cum Latinis disputare, probare volentes, nihil, nec ipsam veritatem, licere symbolo patrum addere. Tota vero vis nostra in decretis sanctorum & œcumenicorum Conciliorum consistebat, in quibus circa finem aiunt, non licere præter hæc aliam fidem conscribere, aut sapere, aut docere, & cetera huiuscemodi. Quando ridiculosum quid, & magni vituperii dignum passa fuisset tota natio & nos omnes per prudentiam boni Ephesini, nisi ego sentiens impediuissem. Vna enim cum decretis patrum illud quoque Apostoli ad Galatas allegare volebat, dicentis: *Si quis vobis aliud, præterquam id quod tradidi vobis, euangelizauerit, anathema sit.* Item sancti Dionysii Areopagite de diuinis nominibus auctoritatem, dicentis: Omnino itaque nihil est audendum vel dicere, vel cogitare, præter illa quæ diuinitus & sacris ora-

culis nobis tradita sunt. Volebat itaque per ista etiam probare, non licere nec ipsam etiam veritatem addere symbolo. Hoc autem quantam nobis derisionem fecisset, & quod in ipso ingressu conuicti & profligati fuisset, hinc senties. Tota ratio nostra, qua credebamus hanc rem posse probari, in dictis tertii œcumenici Concilii Ephesini consistebat; cum asseuerarem, illam primam in fine sui decreti hanc inhibitionem, de quacumque videlicet additione, edidisse. Nam etsi non sit verum talem inhibitionem illud Concilium fecisse, qui tamen contendere volunt, possunt aliquid adiumenti hinc habere propter æquiocationem & ambiguitatem verborum. Causa vero, cur tertium Concilium primum hanc inhibitionem fecisse dicimus, est primo, quod acta primi Concilii nusquam reperiuntur. Secundo, cum sciremus secundum œcumenicum Concilium symbolum Nicænum in plurimis mutasse, partim auferendo, partim addendo, non licebat dicere ante secundum Concilium hanc inhibitionem factam fuisse: ipsos etenim sanctos patres secundi Concilii anathematis reos fecissemus, qui partim addiderunt, partim diminuerunt Nicæno symbolo. His igitur ita declaratis, considera quæ ex iis quæ Ephesinus propositurus erat, inconuenientia sequebantur. Cum enim sanctus Apostolus, beatus quoque Dionysius, multo ante non solum secundam, sed etiam primam Synodum fuerint; si eorum auctoritates ipsam etiam veritatem inhibent, ne quis eam vel doceat, vel addat symbolo, sub anathemate; & secundi Concilii patres essent, qui tot additionibus & minutionibus Nicæni Concilii symbolum alterarunt; & ipsi Nicæni Concilii patres, qui quo ante eos ecclesia utebatur, symbolum plerisque in partibus eius mutarunt. Si autem hæc opinio nec cogitanda quidem tamquam impia sit, patet, quod illa inhibuit & Apostolus & Dionysius docere, sapere, euangelizare & cogitare, quæ falsæ, fideique catholicæ contraria sunt. Quod si falsæ inhibent, nos autem eorum auctoritates tamquam æquiuales decretis Conciliorum producebamus, patet, quod etiam decreta patrum falsæ inhibent ne symbolo addantur, non autem quæ vera sunt. Itaque in ipso primo congressu, & primo die conuicti & profligati fuisset. Cum autem hæc ego

senfissim rationibus prædictis, vix ei persuasi, vt illas auctoritates non proponeret. Ex iis itaque licet illius hominis & ingenii eius subtilitatem iudicare, & quale ei iudicium in sublimioribus sit, si hæc res eum tam manifesta latebat. Hæc autem dico non eius reprehendendi causa; longe enim ab hoc absum; sed vt auditores admoneam, vt sibi ab eius sermonibus caueant. Discutientes igitur hanc quæstionem, & de ea publice cum Latinis disputantes, dum in principiis & circa præmia essemus, nos videbamus superare: nondum enim aliquid dignum, quod ad propositam rem faceret, dictum a Latinis fuit. Quando (etsi absque arrogancia dictum) potiores ad hanc rem ex parte nostra productæ rationes, a me & inuentæ & dictæ fuerunt, testes sunt qui adfuerunt. Cum autem successerit in sermone optimus ille vir Iulianus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis sancti Angeli dignissimus, multa & quidem potissima in medium adduxit, quibus propositam quæstionem ita clare & sufficienter probavit, demonstrando licere veritatem semper addere fidei symbolo, præsertim cum necessitas cogat, & auctoritas summi pontificis accedat, vt nihil nos, quamquam diu multumque cogitauerimus, contradicere potuerimus. Quæ cum multa fuerint, illa tamen quæ memoria teneo, hic exponam, vt etiam huius rei veritatem intelligas. Sed ante hæc summam nostrarum rationum & potissimam audi. In fine decretorum cuiuslibet sacri œcumenici Concilii, a tertio inchoando, de verbo ad verbum sic habetur: His lectis determinat sancta Synodus, nulli licere aliam fidem proferre, aut componere, aut sapere, aut docere aliter: qui vero hoc audeant facere, clerici priuentur, laici anathematizentur. Huius sententiæ & horum fere verborum omnes aliæ inhibitiones sunt. His nos auctoritatibus tamquam irrefragabilibus nitebamur, dicentes nec ipsam veritatem licere addere; cum ex dictis sanctorum prædictis inhibitum sit, ne liceat. Contra nostram positionem inter multas rationes ex parte Latinorum introductas, hæc quoque fuerunt.

*Rationes Latinorum, quibus probatur, quod licet veritatem addere symbolo.*

C A P V T III.

**Q**UODLIBET Concilium non solum proferre aliam fidem inhibet, sed & componere. Si igitur per hoc, quod dicit, aliam fidem, intelligit aliis verbis, eidem tamen sententiæ compositam fidem, seu symbolum, accidet quod omnes qui idem symbolum diuersis quidem verbis, sententia tamen eadem composuerunt (quod quasi omnes doctores sancti cum fidem catholicam profitentur, fecerunt) sub anathemate erunt. At hoc non solum falsum, sed etiam blasphemia est dicere. Igitur non prohibetur aliis verbis consonis veritati eandem exponere fidem, sed contrariam & diuersam componere, hoc prohibitum est. Item quartum Concilium ipsum etiam sapere & docere aliter anathemati subiicit. Si igitur sapere vel docere, vocabulis quidem diuersis, consonis tamen veritati, prohibet, sub anathemate sunt omnes, qui fidem orthodoxam, quibus potuit vnusquisque verbis, docuerunt. Vnusquisque enim sanctorum diuersis vocabulis eandem fidem prædicauit. At cum hoc inconueniens sit dicere, non diuersitatem vocabulorum, sed sententiarum contrarietatem prohibet: præsertim cum ipsum sapere ad sententias, non ad vocabula referatur.

Præterea sextum Concilium eadem ipsa quæ & quartum dicit, & insuper inhibet, ne quam vocem inanem, aut vanam alicuius dictionis inuentionem quis introducat ad peruertendum quæ a se determinata sunt. Ex quibus manifeste apparet illa vocabula inhibita esse, quæ ad peruertendum dogmata patrum introducuntur, non quæ ad corroborandum. Amplius tertium Concilium statuit, nec licere aliam fidem proferre, præter eam quæ in Nicæno Concilio edita fuit, & eos qui hoc auderent, anathemati subiecit. De symbolo vero per secundum Concilium edito, quo tota ecclesia vtitur, nullam facit mentionem. Si igitur ideo non fecerant de eo mentionem, quia aliud & diuersum a fide Nicæni Concilii illud putarunt; peccamus nos, & quidem mortaliter, qui omisso totaliter symbolo Nicæno, præter quod nullam aliam fidem proferre

statuerunt patres, secundi Concilii vtitur simbolo, illud legentes, illud docentes, illud & priuatim & publice proferentes: & hac ratione sub anathemate sumus. Quod si ideo silentio illud præterierunt, quoniam idem est per omnia simbolo Nicæni Concilii, eademque fides in utroque continetur, nisi quod manifeste apparet verbis non esse idem: his enim maxime differt, plures additiones, plures etiam diminutiones habens. Est igitur idem sententiis: qua de causa & primi & secundi Concilii symbolum tamquam vnum putarunt tertii Concilii patres. Quare omne etiam symbolum quibuscumque compositum verbis, eandem sententiam quam & Nicænum continens, idem est illi: nihilque contra hoc facit, cum dicitur, non audere tradere aliud symbolum: aliud enim intelligendum est, quod contrariam veritatis sententiam continet. Siquidem secundi Concilii symbolum tantum a Nicæno differens quoad verba, idem tamen cum primo, non aliud, iudicatum est a patribus.

Item vnumquodque Concilium post lectionem totius sui decreti, non symboli solius, sed totius decreti, ait: His lectis determinauit sancta Synodus, nulli licere aliam fidem proferre. Patet autem, quod cum dicat, his lectis, totum decretum intelligit. Igitur & quod sequitur, aliam fidem non licere proferre, ad totum decretum ipsum quoque refertur, videlicet non licere proferre aliam fidem præter eam quæ in toto decreto, non solum in simbolo continetur. At quoad verba quartum Concilium aliud quam tertium, quintum aliud quam quartum, & ita cetera conscripserunt. De tota igitur fide & sententiis, non verbis, hic ratio est.

Item septimum Concilium non omnino facit aliquam symboli vel primi vel secundi mentionem, sed simpliciter decreto eius edito, in fine addit: His nihil est addendum, nihil ab eis auferendum. Quod si quis vel addat, vel auferat quidquid ab hac fide, anathema sit. Manifestum igitur est, quod de fide contraria & falsa inhihet: non enim prohibet, ne ecclesia decreta, cum res exigit, edere possit.

Præterea quæ corde credimus ad iustitiam, eadem ore quoque confiteri ad salutem debemus: aliter imperfecta



nobis fides esset. Confitenda enim est coram hominibus fides, si desideramus promissa præmia. At verum necesse est sapere: igitur & confiteri idem necesse est.

Amplius in actis quarti Concilii in prima sessione primo quidem legit Eutyches Nicænum symbolum, deinde idem hæreticus infert, quod de hac fide Nicæna videlicet decreuit Ephesina Synodus, eum qui præter hanc quidquam addat, cogitet, aut doceat, reum esse pœnis quæ ibidem continentur. At Eusebius episcopus Dorylensis, qui se zelo fidei accusatorem huius hæretici constituerat, cum hæc audisset, exclamavit dicens: Non est tale decretum, non est Canon qui hoc iubeat; mentitus est. Patres vero Concilii sexcenti & triginta numero, his auditis, Eutychem condemnarunt, nolentem sapere atque credere aliqua alia, quæ in Nicæno symbolo non contineantur explicite. Alia vero dico numero, non vt contradictoria, vel contraria: quo fit, vt illas additiones putauerint inhibendas esse, quæ contrariæ & oppositæ veritati sunt, non illas quæ sunt consentaneæ. Quod enim Christus ex duabus & in duabus naturis absque confusione permanerit post carnis assumptionem, quod Eutyches negabat, quamquam aliud esset a Nicæno symbolo, aliud vero non sententia, sed verbis; tamen cogebant Eutychem, vt hoc crederet. Igitur manifeste apparet, non simpliciter aliud, sed contrarium inhibuisse sanctos doctores. Animaduerte namque, quod ipsamet verba tertii Concilii, quæ nos proferimus, nulli videlicet licere aliam fidem proferre, hæc eadem Eutyches pro se producebat: episcopus vero Dorylensis & totum Concilium, Non est talis Canon, exclamarunt, qui hoc iubeat: & illum condemnarunt tamquam non recte intelligentem hunc Canonem. Exponebat enim eum quemadmodum & nostri omne aliud simpliciter, etiamsi esset differentia verbalis, putans inhibendum esse. Quam expositionem Synodus refellit, non negans hæc verba in Canone Ephesino contineri: aliam tamen fidem putans, quæ contraria veritati, non quæ verbis differens, sententiis concors & consentanea sit.

Item in libro Canonum Conciliorum, quos noster Zonaras exponit, in eo, inquam, libro est hæc inhibitio tertii Concilii: His videlicet lectis determinauit sancta Synodus,

duſ; & eſt inter eiufdem Concilii Canones ſeptimus numero: ante hunc eſt alius eiufdem Concilii Canon numero ſextus, qui communionem priuat eos, qui auerent aliquid eorum permutare, quæ a Synodo acta ſunt. In ſeptimo autem Canone videlicet inhibitionis, anathematizantur qui tranſgrediuntur Canonem, & aliam prædicant fidem. Quærit igitur Zonaras, quare ſancti patres in ſexto Canone communionem dumtaxat priuant tranſgreſſores, in ſeptimo vero anathemati eos ſubiiciunt: hanc vero quaſtionem his verbis ſoluit. Multum intereſt, inquit, inter contradicere & dubitare de aliqua re. Ideo qui dubitat de his quæ iam recte a patribus ſtatuta ſunt, excommunicatione innodatur, & communionem priuatur: qui vero eis contradicit, tamquam contraria ſapiens, anathematizatur. Quare iſte etiam commentator aliam fidem hic contradictoriam contrariamque apertiffime & manifeſte nominat.

Item Concilium in Trullo celebratum in primo ſuo Canone dicit: Statuimus immutabilem abſque aliqua nouitate ſeruare traditam nobis ab iſtis miniſtris Verbi, qui eum oculis viderunt, apoſtoliſ videlicet ſanctis, & a cccxviii. ſanctis patribus in Nicæa congregatis. Et conſequenter enumerat omnia Concilia, & iubet fidem ab omnibus illis traditam immutabilem ſeruari. Deinde inferit: Quod ſi quis prædicta pietatis dogmata non teneat, & eis acquieſcat, & ita ſapiat, & prædicet, ſed eis contraire conetur, anathema ſit ſecundum Canones a prædictis ſanctis patribus iam editos, & a Chriſtiano conſortio tamquam alienus pellatur & proiiciatur. Nos enim nec addere, neque auferre quidquam omnino vel cogitamus, vel poſſumus, Canones prædictos ſequentes. Hic Canon manifeſte declarat tertii Concilii decretum, & aliorum, quæ inhibent, ne quis aliam præferat fidem, cum dicat: Quod ſi quis contraire patrum dogmatibus conetur, anathema ſit ſecundum Canones iam ab eis editos, hos videlicet, qui inhibent aliam fidem. Hæc igitur decreta contrariam fidem prohibent; & quod inferunt: Nos enim nec addimus, nec auferimus aliquid: in fide videlicet intelligunt, non in ſymbolo. Symbolum enim hæc Synodus non inferuit in ſuo decreto, ſed fidem exponens & dogmata ſanctorum

patrum & omnium Conciliorum, infert, nec addere, nec auferre quidquam cogitamus; & ratio, quia Canones prædictos sequimur; ita ut clare pateat, cum dicat, nec addere, nec auferre licere, non verbales additiones & ablationes, sed contrariarum sententiarum & falsi sensus inhibere. Per hunc igitur unum Canonem solum, quem non ratio nostra inducit, non aliquis priuatus homo commentatur simpliciter, sed quem una Synodus tot patrum conuentus composuit, & aliorum similium patrum mentem exponunt. Apertissime & manifestissime soluitur quæstio non contendere volentibus. Voluissim liceret longius euagari, vidisses profecto multas similes rationes, & quidem potissimas. Cum vero & quæ dicta sunt, ita clare hanc quæstionem decidant, ut illi quidem qui veritatem diligat, & absque contentione quæ dicta sunt audiat, satis superque sint; contendere vero volenti nec multo plures satisfaciant: vno dumtaxat argumento Latinorum adhuc addito, cessabo de hac re plura dicere. Est autem hoc potissimum, & quod solum sufficiat ad redarguendum errorem nostrorum. Nos asserimus, quod primum tertium Concilium hanc inhibitionem decreuit, ut paulo ante dixi, quando etiam causam, quare hoc diximus, manifestaui, quæ est, quod cum secunda Synodus plura addiderit, pluraque abstulerit a symbolo Nicæno, si assereremus ante secundum Concilium hanc inhibitionem fuisse, ex duobus unum sequeretur, necesse esset; aut transgressionis Canonum sanctos secundi Concilii patres accusare, & sub anathemate fuisse; aut cum hoc non solum absurdum, sed etiam blasphemia sit dicere, non omnem verbalem additionem, sed sententias falsas atque contrarias, ne addantur, inhibuisse. Quare cogimur dicere post secundam Synodum hanc inhibitionem factam fuisse, non antea. Igitur si quis e conuerso ostendat, quod ante secundam Synodum hæc inhibitio fuerit; & iisdem fere verbis, quibus tertium Concilium vsum est, colligetur duorum supradictorum alterum, & cum secundi Concilii patres transgressores Canonum dicere blasphemia sit, restat ut secundum sit verum, videlicet non id intelligere illam inhibitionem, quod nostri putant, sed contrariam fidem inhibere. Hoc igitur nobis ostenderunt Latini. Probatum est etenim ab eis,

primam Nicenam Synodum hanc inhibitionem fecisse, iisdem ipsis verbis, quibus & tertium & alia Concilia scripserunt. Probarunt autem hoc modo: ita studiosi & diligentes in omnibus actibus suis sunt Latini, prout & tua nobilitas scit experta in multis eorum sapientiæ, vt non solum in diuinis, verum etiam in humanis & ciuilibus rebus nihil eos de prisca gestis vel scriptis latet. Quare in vnaquaque etiam ciuitate reperies in eorum archiuis multa \* antiquissimis gestis eorum conscripta. Hoc etiam in catholica ecclesia, aliisque piis locis seruatur. Multa enim acta pontificum, multaque Conciliorum epistolæ & Canones extant. Produxerunt igitur nobis in antiquissimo libro membraneo epistolam Liberii papæ ad beatum Athanasium Alexandrinum patriarcham, quæ incipit: *Iam a principio tantam accepimus a beatissimo Petro principe apostolorum. in qua post pauca dicit, accepisse epistolam sancti Athanasii, & eam legisse. Deinde addit: Cum autem fidem Nicæni Concilii in ea rectam reperissemus, magnas gratias vobis retulimus, pro qua non solum compati vobiscum, & persecutionem pati parati sumus, sed cum necessitas exigat, etiam mori pro nomine Christi non postponemus, quantumcumque sumus imbecilles. Prædicta namque, vt legimus, sancta decreuit Nicæna Synodus, aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, aut componere, aut sapere, aut aliter docere, nec aliquid in fide vel intelligere, vel proferre, quod horum patrum decretis contrarium sit. Qui vero audeat aliam fidem proferre, aut docere, aut aliud symbolum tradere illis qui ad viam veritatis ex quacumque hæresi desiderant conuerti, aut ex Iudaismo, aut ex gentilitate, si episcopus vel clericus sit, priuetur episcopus episcopali dignitate, & clericus clero. Si vero monachus aut laicus, anathematizetur. Hæc nunc quidem actis primi Concilii deperditis ignota nobis sunt; tunc vero cum adhuc extarent, sciebant & papa Liberius, & sanctus Athanasius. Hæc autem similia sunt omnino tertii Concilii verbis. Quid igitur de secunda Synodo & beato Gregorio Nazianzeno dicemus, qui cum huic Concilio præsideret tamquam alios sapientia excellens, hoc symbolum, quo nunc tota ecclesia vtitur, conscripsisse dicitur, in plurimis Nicænum*

*Concil. Tom. 33.*

Kkkk ij

mutans, si hæc inhibitiō illam mentem quam nostri dicunt, habet pro sanctis patribus & doctoribus, heu seductores & deceptores facti sunt & secundi Concilii patres, & beatus Gregorius Nazianzenus, cui per excellentiam Theologus cognomen fuit. Sed absit hanc blasphemiam etiam cogitare. Non igitur nec prima, nec tertia, nec aliqua alia Synodus hoc intelligit, cum hanc inhibitionem decernit, sed manifeste contrariam fidem inhibet.

*Conclusio, quod urgente necessitate, & iudicio ecclesie, & auctoritate summi pontificis accedente, licet & necessarium est addere verbum symbolo.*

## CAPVT IV.

**P**ER hæc itaque omnia, clementissime, luce clarius probatum est, non esse prohibitum veritatem addere fidei symbolo, imo vero declarare. Nullum enim veritatis dogma est, quod vel explicite non contineatur symbolo & simplici apostolorum traditioni. Declarare autem & replicare, ac symbolo addere, non semper videlicet, nec omnem volentem, sed magna necessitate cogente, & cum ecclesie iudicium & auctoritas summi pontificis accesserit, non modo non esse prohibitum, sed etiam necessarium esse.

*Continuatio narrationis eorum quæ in Concilio facta fuerunt.*

## CAPVT V.

**H**IS igitur, aliisque similibus per Latinos dictis, clementissime vir, nos cum nihil ad hæc respondere haberemus, (quid namque poterat aliquis contra talem veritatem impudenter dicere?) tacebamus. Latini vero probato, quod licet addere symbolo veritatem, consequenter pollicebantur se probaturos, etiam dogma symbolo additum verum esse, videlicet, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit. At nostri in primo conuicti formidabant secundum certamen subire, illudque eis euenit, quod ego iam a principio præuidebam futurum, cum impediēbam, ne ab hac quæstione inciperemus. Timebant igitur, & nullo modo volebant amplius permanere: sed quisque desiderabat discedere & reuerti ad propria,

nihilque aliud, nisi redeundum ad patriam, clamabant: & cum causam, curnam ita vellent, interrogarentur, reddere non valebant. Quid igitur dicemus Latinis interrogati, qua ratione in medio certamine, imo vero adhuc in principio: quæ enim hucusque de non licere addere dicta sunt, nihil ad rem sunt. Qua igitur ratione nondum facto initio redeundum esset, dicere non habebant. Verum absque vlla ratione vociferabantur, Redeamus, redeamus. Dicebant autem etiam inter se, quod ad eorum aures pervenisset, Latinos posse in medium afferre plurimas multorum sanctorum occidentalium auctoritates, quibus palam probatur Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Quid igitur ad has respondebimus? discedamus, redeamus, abeamus. Audisne patrum & doctorum sententiam? Quoniam, inquit, multas auctoritates sanctorum Latini afferre habent, ad quas nos respondere non habemus, discedamus ab eis. Vix tamen sentientes absurditatem sententiæ suæ, & a serenissimo imperatore persuasi cesserunt, & manere decreuerunt. Interim res ipsa de Ferraria in Florentiam accessum summi pontificis coegerunt, & inde illuc translationem Concilii. Abierunt igitur Latini, recessimus etiam nos: & cum omnes iam appulissimus Florentiam, decreta fuit dies, in qua incipiendum atque continuandum erat Concilium: & termino adueniente, rursus nos accusare Latinos incepimus. Quemadmodum enim in illa quæstione, an liceat addere quidquam, nos accusatorum, Latini vero respondentium tenuerunt locum, & ita responderunt, ut nil nos ad illa replicare potuerimus: ita etiam in ipso dogmate nos quidem tamquam accusantes proposuimus, illi vero respondebant. In omnibus enim ad libitum nostrum, & prout volebamus, ita facere nobis licebat: & tamen non pudet aliquos dicere, vim nobis illatam fuisse, quod nunquam fuit, teste veritate, qui Deus est. Proposuimus igitur ab ipsis apostolis & sacris Synodis incipientes, eorumque atque omnium orientalium doctorum auctoritatibus vsi, quibus probatur Spiritum sanctum non quidem non procedere ex Filio: talem namque nullam auctoritatem habemus, prout tu etiam scis, præter illam Ioannis Damasceni, qui dicit, Spiritum Filii dicimus, ex Filio vero non dicimus.

Alia vero auctoritates omnes hoc probant, dumtaxat quod Spiritus sanctus ex Patre procedit. Has igitur nos afferentes in medium, putabamus probasse, falsum esse, quod ex Filio etiam procedat Spiritus sanctus. Latini vero ad has quidem omnes auctoritates unam hanc responsionem communem dederunt, quod omnes videlicet verae sunt, & ita etiam eis videri: sed etiam hoc idem credere, Spiritum sanctum scilicet ex Patre procedere: hoc tamen non ut contrarium, nec ut contradictorium appositioni auctoritatibus dicentibus eum etiam ex Filio procedere. Si enim altero illorum modorum illis opponeretur, tunc uno posito, alterum perimeretur omnino: nunc vero nil prohibet utrumque verum esse; videlicet quod ex Patre procedat, & quod ex Filio. Quemadmodum si dicamus Spiritum sanctum mitti ex Patre, alius vero dicat eum ex Patre & Filio mitti: utrumque verum dicetur, alterum non repugnat alteri. Si igitur sancti patres dicerent, vel quod Spiritus sanctus ex solo Patre procedit, vel quod ex Filio non procedit, tunc falsa nostra esset fides. Cum autem neutrum horum nondum aliquis sanctus dixerit, istud quod dicunt, ex Patre eum procedere, non perimit quod nos dicimus, ex Filio etiam eum procedere. Et haec quidem ad nostras responderunt auctoritates. Ad illam vero Ioannis Damasceni auctoritatem nihil responderunt, cum nec nos eam proposuerimus. In fine tamen huius operis, illius quoque solutionem tua gratia his apponam; deinde Latini tamquam a principio incipientes, plura ac varia pluribus in sessionibus argumenta dixerunt a sancta scriptura & ecclesiae doctoribus, minores ut plurimum propositiones habentes, quibus probarunt, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Et tandem auctoritates patrum attulerunt, quibus clare & palam huius dogmatis veritas apparet. Attulerunt vero non solum occidentalium, verum etiam orientalium patrum testimonia, quorum aliqua quae mihi visa fuerunt magis ad nostrum propositum facere, tibi cum his ad praesens mitto, ut intelligas quid de hac re ipsi etiam occidentales doctores sapiunt. Ad quae nos nihil respondere habebamus, nisi quod corrupta sint, & a Latinis corrupta fuerunt. Produxerunt nostrum Epiphanium, multis in locis ex Patre &

Filio clare dicentem esse Spiritum sanctum: corruptum fuisse dicebamus. Allegarunt Cyrilli nonnulla, & aliorum: idem aiebamus. Adduxerunt occidentalium doctorum auctoritates: omnis nostra responsio eadem, & nulla alia erat. Cum igitur multis diebus inter nos ipsos consideremus, quidnam ad hæc respondendum esset, nullam aliam reperiebamus responsionem, præter prædictam: illam vero tamquam leuem & a cunctis deridendam in medium afferre non videbatur. Primo, quia ex antecedentibus & sequentibus hæc opinio videbatur de mente esse sanctorum. Deinde plurimis libris & antiquissimis idem habentibus, non erat facile ea calumniari; præsertim cum nullum nos librum alium haberemus, non Latine, non Græce scriptum, qui aliter auctoritates prædictas scriptas haberet, quam Latini dicebant. Præterea nos alios doctores contrarium dicentes producere non habebamus; eosdem occidentales aliter alibi dicentes probare minime poteramus: naturalibus rationibus eos ostendere falsa dicere, minime erat possibile. Cum igitur nullam nobis responsionem, quæ digna esset, relictam videremus, tacuimus, per multosque dies non conuenimus cum Latinis. Verum fuerunt qui subtilitate ingenii aliam inuenerunt responsionem; non esse mirum scilicet, si in aliquo sancti tamquam homines errassent: & ideo occidentales etiam doctores in hoc articulo de processione Spiritus sancti errasse, mentitosque fuisse. Hoc autem quod totam fidem nostram euertat, clare patet. Si enim fides nostra a dictis doctrinæ sanctorum pendet, ii vero circa veritatem errant, tota nostra fides euertitur. Propter hæc omnia merito secuta est vnio, & omnes absque quacumque violentia, sponte & voluntarie huic rei concesserunt. Qui vero concedere noluerunt (fuerunt autem duo, & non plures) cum omni libertate sine aliqua oppressione in suo arbitrio relictæ, cum honore & caritate sumptibus ecclesiæ Romanæ ad propria remearunt. Si vero iuste & recte secuta fuerit vnio, cum videris & perlegeris auctoritates sanctorum, quas tibi nunc mitto, ipse iudicabis. Quis namque Christiano insignitus nomine non sequeretur eos, & dictis eorum, tamquam a Spiritu sancto editis, non crederet? Dico tam occidentalium, quam orientalium,



patrum, quos consona dicere, eandemque veritatem exprimere verbis differentibus firmiter tenendum est, prout in dogmatico satis probavi. Ipsæ igitur auctoritates solæ per seipsas satis tibi & aliis erunt, clementissime vir, ad omnem ambiguitatem tollendam, & omne dubium auferendum a quacumque anima non contentiosa. Etenim me etiam non syllogismi, nec demonstrationum necessitas, non argumentationum vis, sed ipsæ nudæ auctoritates doctorum ad credendam hanc veritatem induxerunt. Cum enim vidissem & audiissem eas, subito omni contentione & contradictione postposita, acquieui auctoritati dicentium. Iudicaui namque sanctos patres Spiritu sancto loquentes non potuisse a veritate discessisse. Quare non solum acquieui, verum etiam gratias egi Salvatori nostro, qui mihi donavit & audiuisse & intellexisse, quæ nunquam ante audiui. Nullus enim nostrorum vnquam credidit, tot auctoritatibus doctorum propositam quæstionem posse probari. Et tibi igitur, cui cor humile & anima veri appetens est, aliis quoque Christianis tibi similibus, hæc solæ auctoritates, vt paulo ante dixi, satis erunt. Cum vero etiam aliquas rationes & probationes a me petieris, tua gratia hæc quoque quoad potero breuiter faciam, a sacra scriptura & doctorum auctoritatibus arguens, quod etsi in sermone quem de vnione edidimus, factum sit, satis tamen hic etiam idem faciam, aliquasque rationes in medium afferam. Sed antequam ad eas descendam, necesse esse puto aliqua præsupponere, vt ea quæ sequentur, clarius intelligantur.

*Præsupposita ad argumenta probantia, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Et primo, quid sit paternæ personæ constitutum.*

#### CAPVT VI.

**C**VM vnique enti sit quædam forma communis, sit etiam alia propria qua constituimur, & est hoc aliquid: quemadmodum huius hominis, vtpote Petri, vna cum forma communi, quæ est humanitas, secundum quam dicitur homo, est etiam alia propria forma, per quam dicitur hic homo, Petrus videlicet, vel Paulus, quod & incommunicabile alteri est (propter varias opiniones de  
prin-

principiis indiuiduationis, etiam hic varia ponuntur; & cum dicimus, aut corpus esse propriam alicuius formam, hoc non intelligimus simpliciter, sed solum secundum quamdam similitudinem.) Hæc autem est anima eius, vel corpus, aut aliquid aliud, quod est ei principium indiuiduationis. Quemadmodum est etiam de Deo & Patre, quamnam sit propria eius forma personam eius constituens: est enim ei communis ad Filium & Spiritum diuina ac essentialis forma, quæ vna & eadem numero in eis est, deitas videlicet, secundum quam vnus est cum eis Deus: habet nihilo minus aliam etiam propriam formam aliis personis incommunicabilem, secundum quam hoc aliquid, & persona in sancta Trinitate est. Quodnam igitur sit, quærendum est. Et primo, an sit ipsum ingenitum esse: at non videtur. hoc enim est negatio: nihil autem existentium secundum negationem hoc aliquid est: sed est eius proprietas, quæ sequitur iam constitutã eius personam. Secundo, an sit hoc, quod dicitur causa, siue principium: nec tamen hoc verum est. Nam si hæc esset constitutiva eius forma, causa, siue principium potius quam Pater diceretur. At ab omnibus doctoribus communiter Pater nominatur. Item cum causa, siue principium vniuersale quiddam sit, hoc dictum est secundum illos philosophos, qui tenent vniuersalitatem fieri per intellectum. Si tamen diceretur vniuersalia nullo modo ab intellectu dependere, adhuc non esset dicendum, quod illud commune principium esset alicuius personæ formaliter constitutum, cum communicabile nulli det formaliter esse incommunicabile, quod facit erga personam formale ipsius constitutum, & tam de Patre, quam de spirante prædicetur, intentio quædam est, non res: quod autem est tale, est non ens: non ens autem non est constitutum eius qui super omne ens. Restat igitur aut paternitatem solam, aut spirationem solam, aut ambas constitutivas esse personæ paternæ: at ambas impossibile est esse iis rationibus. Si enim ambæ constituerent Patris personam, aut ita ambæ simul, & si quidem vtraque per se constitueret, duas formas Pater haberet, & consequenter duæ personæ essent. Hoc quod diximus patet. Cum enim illæ sint rationes distinctæ, si quælibet earum esset personæ constitutiva, cum constitutiua forma-

liter diuersæ sint respectu diuersorum constitutorum, sequitur id quod diximus, tamquam duas personales formas habens, quemadmodum si quis homo duas haberet animas; quod absurdum est. Quod si non vtraque per se, sed ambæ simul; neque qui diceret Patrem solum, significaret personam paternam, neque qui diceret spirantem; huius tamen totum contrarium est in usu: omnes enim doctores & omnis scriptura cum dicunt Patrem, diuinam eius personam significant: nostri etiam cum dicunt spirantem, ipsum Patrem solum putant significare. Igitur nec ita ambæ simul sunt constitutiua personæ, vt vtraque nullo modo, sed ambæ simul constituent; nec vt vtraque per se constituat. Sed necessario alterum quidem solum constituit personam, alterum vero sequitur iam constitutam personam. Restat igitur aut paternitatem esse constitutiua & propriam Patris formam, spirationem vero sequi eum iam constitutum; aut e conuerso spirationem esse constitutiua personæ paternæ, paternitatem sequi personam iam constitutam. At si spirare quidem constituit, paternitas vero & ipsum generare sequitur, absurdum quid, & quod præter omnium doctorum traditionem est, sequitur: quod tale quidem est. Prima & immediata cuiusque operatio ab eius constitutiua forma prodit omnes autem aliæ operationes per hanc primam videlicet operationem; vtputa ex anima, quæ est constitutiua Petri forma, prima & immediata operatio eius prodit, quod est viuere: deinde per eam, scilicet tamquam per causam sine qua non, omnes aliæ operationes prodeunt, speculari videlicet, docere, texere, &c. Per viuere namque, quæ est prima & immediata eius operatio, omnes aliæ efficiuntur. Si igitur & personæ paternæ ipsum spirare esset constitutiua forma, esset spiratio quidem prima eius & immediata operatio: per hanc autem generaretur Filius, quo fieret vt non Spiritus per Filium procederet, vt theologi asserunt, sed Filius per Spiritum generaretur. Quæ cuncta veritati contraria, & patrum traditionibus, & communi eorum vsui sunt. Et cum hæc absurda sint, restat paternitatem constituere personam paternam, & hanc eius esse incommunicabilem formam; spirationem sequi iam constitutam eius personam. Non quidem vt accidens quod realiter ab eo cui

accidit, distinguitur vt accidens, cum nihil in Trinitate sit accidens. Verum secundum naturam & essentialiter, id est necessario & per se, tamquam quoddam sui naturam & essentiam in eo necessario consequens, & ipsum quidem generare primam & immediatam operationem personæ paternæ esse, ipsum vero spirare fieri per generare, non tamquam per principium, sed per aliquid necessarium, quod præexigitur. Et hæc quidem prædicta sint, tamquam ad quæ sequuntur necessaria.

Item hæc etiam tamquam communia præsupponantur. Eorum quæ in Deo dicuntur, quædam sunt communia omnibus personis, vt bonus, sapiens, & omnia absoluta: similiter omnes negationes quæ per excellentiam respectu ad creaturam de eo dicuntur, vt inuisibile, incomprehensibile, & huiuscemodi: item quæcumque relationem ad creaturam significant, vt creator, iudex, & similia. Hæc itaque communia sunt omnibus personis: quædam vero sunt propria, & horum quædam sunt propria duabus personis comparatione ad reliquam, quemadmodum Filio & Spiritui a principio esse, Patri & Filio mittere Spiritum: hic capitur mittere, vt importat relationem originis inter mittentem & missum, & per consequens distinctionem realem: aut quod Spiritus dicatur Patris & Filii. Quædam propria vnius personæ, & horum rursus quædam ita propria personalia sunt, vt etiam constitutiua sint, vt paternitas, filiatio, spiratio passiuæ. Quædam etsi vni soli insunt, non tamen constitutiua personarum sunt, sed quædam notionem; quemadmodum Patri notionale ingenitum esse: ingenitum capitur hic pro improducto. Hæc igitur trium personarum communia personalia sunt, nec illa, quæ duabus comparatione ad tertiam propria sunt; nec illa, quæ vni quidem propria sunt, sed ita propria, vt notionalia, & sequentia: illa vero sola sunt personalia, & personarum constitutiua propria, paternitas scilicet, filiatio, & passiuæ spiratio: quæ vero duabus propria comparatione ad tertiam sunt, hæc notionalia sunt duarum personarum. His præsuppositis probabimus, Spiritum sanctum ex Patre per Filium, ipso iuuante, & ex Patre Filioque procedere.

*Argumenta probantia, Spiritum sanctum ex Patre per  
Filium, & ex Patre Filioque procedere.*

CAPVT VII.

**P**ER primam & immediatam vniuscuiusque operationem omnes alia operationes eius fiunt, prima vero & immediata Patris operatio est generare: per generare igitur spirandi actio fit, & ex Patre per Filium Spiritus sanctus procedit. Quod autem velit hoc, quod dicimus per Filium, & quod ipsum per causam, siue principium medians significet, ex hoc non intelligimus, quod Filius fit principium medians quantum ad spirare, ita quod Pater non immediate spiret Spiritum sanctum, sed spiret eum mediante Filio, tamquam causa secundaria, sicut Deus mouet cælum intelligentia mediante. Tenemus enim cum Augustino, quod Spiritus immediate ab utroque procedit: sed intelligimus quod Filius, qui est Spiritus principium, est medians quantum ad esse inter Patrem & Spiritum sanctum, cum prius naturaliter intelligatur a Patre productus, quam Spiritus sanctus ab utroque, vt sufficienter in sermone de vnione probauimus.

Item Spiritus sanctus aut ex solo Patre procedit, aut non ex solo Patre: inter contradictoria namque nihil est medium. At non potest dici quod ex solo Patre procedat: igitur non ex solo Patre. Quod si non ex solo Patre, igitur etiam ex Filio. Quod autem non ex solo Patre procedat, probatur. Primo quidem nusquam reperitur hoc dictum, neque apud scripturam canonicam, neque apud doctores. Quod vero non fuit ab aliquo istorum dictum, non est audendum dicere. Deinde cum spirare non prima, nec immediata sit essentialis actio Patris; fit per primam, vt dictum est. Accipitur hic (per) prout importat habitudinem causæ sine qua non: quia spirare necessario præsupponit generare, non prout importat habitudinem principii; quia generatio non est principium spirationis, cum spiratio Filio conueniat, cui non conuenit actiua generatio, quæ est ipsum generare & generatio: quare necesse est, vt Filius etiam hac operatione participet, & per eum Spiritus sanctus procedat. Cum enim omnia sint communia Patri & Filio præter constitutas

personarum proprietates, communis ei erit vis etiam spirandi, quæ naturalis quidem Patri, non tamen constitutiva personæ eius est, vt dictum est. Quare Spiritus ex Patre & Filio, vel ex Patre per Filium procedit. In theologia namque, per, ab, ex, nihil differunt. Quod si quis dicat, communem ergo licet Spiritui etiam sancto hanc vim spirandi esse; vim spirandi, id est actiuam spirationem, siue diuinam naturam coniunctam actiuæ spirationi tamquam essentialem & naturalem: omnia enim essentialia ipsi quoque communia sunt. Discat is, hoc impossibile esse, eo quod opponitur eius proprietati: non enim potest idem sui ipsius esse principium. Vnaquæque enim diuinarum personarum manens in eodem quod est, & suam proprietatem personalem seruans, communia etiam inuicem habet omnia essentialia. Manens enim Filius in eo quod Filius est, vt beatus Basilius ait, habet omnia quæcumque & Pater. Igitur Spiritus etiam manens in eo quod Spiritus est, habet omnia quæcumque & Pater & Filius. Proprietati itaque eius oppugnat sui ipsius principium esse; & ideo spirationem actiuam habere non potest. Sed dicet aliquis fortasse, quod si non sit ei communis spirandi vis, erit ei saltem communis generatiua potentia, quemadmodum Filio spiratiua. At non lateat eum hoc etiam impossibile esse: primo quod cum generandi potentia, id est actualis generatio constitutiva sit personæ paternæ, & incommunicabilis alteri, vt probatum est, impossibile est alteri personæ eam esse communem, quemadmodum est Filio spiratiua. Deinde quia implicat contradictionem. Si enim idem generaret Filium, & procederet ex eo, esset ad idem & principium, & quod est a principio; quod est contradictio. At ideo, dicet quispiam, hoc inconueniens sequetur, quia præsupponitur Filium spirare Spiritum. Quod si non præsupponeretur, licet solum quod Spiritus cum Patre generet Filium, non relinquetur huic inconuenienti locus. Cur enim non potius Spiritus cum Patre generet Filium, quam Filius cum Patre spiret Spiritum? Si quis hæc dicit, primo quidem se sciat querere, quæ nemo vnquam nec cogitare quidem ausus est. Deinde potentia, id est actualis generatio quidem generatiua præcedit spirandi potentiam tamquam prima & immediata pa-

tris operatio, vt probatum est; & ideo non potest esse communis Spiritui: spirandi vero potentia cum sequatur Filii generationem, & per eius generationem, vt probatum est, fiat, non impossibile, imo necessarium est, vt sit ei communis cum Patre. Quod si quis rursus propter hæc dicat: Igitur minor est Spiritus sanctus & Patre & Filio, si quidem Pater generat Filium, & spirat Spiritum: Filius & ipse cum Patre spirat Spiritum, Spiritus vero nec Filium generat, nec seipsum, nec alium Spiritum spirat. Vana ratio eius est, & contra seipsum, qui hæc dicit, concludit. Si enim nullius personæ principium esse, imperfectionis & minutionis signum in Trinitate putandum esset, pauciorum quoque personarum causam esse, imperfectionis esset. Filius igitur cum vnius personæ dumtaxat, videlicet Spiritus principium sit, minor esset hac ratione Patre, qui ambarum personarum est principium. At hoc inconueniens est etiam solum cogitare. Igitur illud quoque similiter absurdum est. Principium enim prout est actui coniunctum, vel a principio esse, cum de personalibus proprietatibus sit, neque maius, neque minus alterum altero vel esse, vel dici facit.

Item si vis, id est actualis generatio generandi atque spirandi, id est actualis spiratio ita esset propria personæ paternæ, vt vtraque per se constitueret eius personam, vniuscuiusque vero operationis principium est forma; duæ formæ (per formas intelligimus principia harum duarum operationum) essent principia. Sed vnaquæque forma, id est vnumquodque principium operationis constitutiua cum illa operatione aliquam personam constituit, sicut essentia, quæ est principium generationis actiua cum ipsa generatione Patrem constituit, & sic pater essent duæ personæ. Hoc autem inconueniens est. Vis igitur spirandi, id est actiua spiratio non constituit personam Patris. Quod si non constituit, communis igitur est etiam vel aliis personis, vel alicui earum: non vtrisque simul, neque Spiritui soli, cum ipse seipsum spirare non possit. Est igitur communis Filio. Spiritus igitur ex Patre Filioque procedit.

Item communiter omnes doctores fatentur, Spiritum sanctum prodire ex Filio: hoc autem naturaliter intelli-

gendum est; nihil enim in Deo est præter naturam, neque per accidens. Si igitur naturaliter & secundum naturam Spiritus ex Filio prodit, in diuinis vero dupliciter potest aliquid secundum naturam prodire, aut per generationem, aut per spirationem: per generationem vero non prodit ex eo; esset enim Spiritus filius Filii: prodit igitur per spirationem, & ex eo procedit.

Quod si quis dicat: Dicere eum prodire a Filio, gratiam & operationem eius in nos significat: vanum hoc refugium est. Nam etsi gratia quadam nos participamus, & non substantia Spiritus (substantia namque Dei imparticipabilis est) non tamen prodit ex Filio non subsistens gratia, sed ipsa diuina Spiritus persona. Quod patet ex aliis clarioribus & apertioribus doctorum verbis, cum eum dicunt emanare, oriri, scaturire, elucescere a Filio. Quæ cuiusque non excæcato ipsam subsistentiam Spiritus, non participationem, nec temporalem dumtaxat emissionem significant. Talis igitur personalis Spiritus ex Filio progressus, aut naturalis, aut feruilis est; & cum non sit feruilis, necessario naturalis est. Naturalis vero ex Filio subsistentiæ Spiritus sancti progressus quidnam aliud sit præter eius processionem, neque fingere facile est.

Item Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filii esse, & ex substantia eorum esse, communiter omnes orientales occidentalesq; patres clamant. At in sancta Trinitate quod ex substantia alicuius est, ex persona quoque eius sit necesse est. Igitur Spiritus cum ex substantia Filii esse dicatur ab omnibus doctoribus, ex eius quoque persona est: quod autem id quod est in Trinitate ex alicuius substantia, sit etiam ex eius hypostasi siue persona, hinc patet. Substantia vel essentia, & hypostasis, siue persona, in vnaquaque diuinarum personarum vnum sunt realiter, & ita vnum, vt ratione tantum distinguantur. Si enim realiter substantia & personæ distinguerentur, essent profecto sicuti tres personæ realiter, ita tres essentiæ vel substantiæ; vel poneretur in Trinitate quaternitas rerum, tres videlicet personæ realiter distinctæ, & tres ideo res, & essentia, quæ quarta res esset a personis realiter distincta. Horum autem vtrumque contra fidem est. Quare distinctio quidem hypostasis & essentiæ, rationis est. Vnitas vero realis, contra



quam in nobis hominibus est: etenim in nobis vnitas quidem natura, siue humanitatis cum vniuscuiusque persona, rationis est. Distinctio vero realis est. Alia namque res est humanitas ipsa, alia huius personæ indiuiduatio. Quare quemadmodum sumus multæ personæ, ita etiam multi homines. Quo fit, vt quod sit ex natura alicuius hominum, non necessario etiam sit ex eius persona: in sancta vero Trinitate e conuerso est, vt dictum est. Vnitas essentia & personæ est realis, distinctio vero rationis. Quare quod ex essentia alicuius personarum est, ex persona quoque eius necesse est esse. Si igitur Spiritus ex natura & essentia Filii est, vt in plerisque locis tum alii doctores, tum vel maxime Cyrillus probat, ex persona quoque eius est. At nostri aiunt, ideo hæc dicuntur a doctoribus, vt consubstantialitas eorum comprobetur, & vt ostendatur Spiritus eiusdem esse substantiæ cum Filio. Hoc autem quanto verius est, tanto magis pro Latinis facit. Tunc enim magis eiusdem substantiæ Spiritus cum Patre & Filio est, cum ex eorum substantia personisque eorum prodeat, hoc est, procedat. Dicatur enim clarius propter eos qui vim verborum ignorant. Nam si hoc solum consubstantialitatem significaret, vt nostri homines putant, diceretur etiam pater ex substantia Filii & Spiritus sancti, vel Filius ex substantia Spiritus. Sed hoc nec ausus est, nec audebit aliquis dicere.

Præterea cum essentia nec generet, nec spiret secundum theologos, item etiam secundum philosophos: & ipsi enim vbique dicunt operationes indiuiduorum esse, non vniuersalium & generum. Me enim non homo simpliciter, sed quidam homo genuit. Si igitur operationes indiuiduorum, non vniuersalium sunt, nec substantiæ simpliciter, quid aliud intelligendum est, cum essentiam Filii audimus, & ex ea Spiritum prodire, nisi diuinam eius personam?

Amplius nec hoc nos lateat, quod qui hæc dicebant sancti doctores, contra Arianos & Eunomianos se opponentes hæc dicebant. Qui Filium ex Patre, Spiritum ex Patre & Filio esse dicentes, ex substantia tamen eorum esse negabant; cum dicerent Filium etsi ex Patre, non tamen ex eius essentia, siue natura, sed voluntate natum fuisse.

fuisse: Spiritum vero ipsum etiam ex Filio, non tamen essentialiter, siue naturaliter, sed voluntarie. Quare Filium minorem Patre & alterius substantiæ, Spiritum minorem Filio & alterius essentiæ asseriebant, tresque in diuinitate ponebant essentias. Patres igitur & sancti doctores opinionem eorum tamquam falsam refellentes, non ex Filio solum, sed etiam ex eius substantia conabantur Spiritum sanctum esse probare. Similiter Filium non ex Patre solum, verum etiam ex eius essentia. Considera ergo quomodo ad hoc, quod hæretici dicebant, ex voluntate, non essentia Filii Spiritum esse, se opponebant doctores, ex essentia Filii illum esse asseuerantes: ad hoc autem, quod illi dicebant ex Filio esse, nullus contradixit, nec dixit non esse illum ex Filio, tamquam & ipsi hoc idem sentientes, & dicentes esse ex essentia Filii: idem & ipsi intelligentes, ac si dicerent ex essentia & persona eius; & nos hoc idem dicentes. Item beatus quidem Basilius in primo contra Eunomium, Filium ait ordinem habere naturalem ad Patrem, & qualem illud habet ad ignem, quod ex eo est, & causatum ad causam. Idem etiam Spiritum similem ordinem ad Filium habere asseuerat. Magnus vero Athanasius & apertius ait, qualem ordinem & naturam habet Filius ad Patrem, talem ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium. Ex his talis fit syllogismus: Talem ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem Filius ad Patrem: sed Filius ad Patrem naturalem ordinem habet, qualem causatum ad causam: igitur & Spiritus sanctus naturalem ordinem habet ad Filium, qualem causatum ad causam. Igitur Filius etiam causa, siue principium est personæ Spiritus sancti.

Item cum in naturalibus rebus omnis causa præcedat causatum tempore, causatum vero posterius sit sua causa; ideo quidam audientes causam & causatum in Trinitate, & præsertim Ariani & Eunomiani, ex humanis & naturalibus exemplis arguebant contra coæternitatem Trinitatis, Filium posteriorem Patre tamquam causatum ab eo, & Spiritum Filio posteriorem tamquam causatum ab eo, probare volentes. Gregorius Nyssenus eis contradicens, & coæternitatem trium personarum probare proponens, in primo suorum contra Eunomium librorum

proportionem quamdam Filii ad Patrem, & Spiritus ad Filium facit; Patrem quidem dicens causalitatis ratione solum præintelligi ante Filium, non autem tempore; & ideo non posse sequi, quod non sint coæterni: Filium autem & ipsum præintelligi ante Spiritum ratione causalitatis, & non aliter. Ita ut clare pateat per hunc sanctum doctorem, Filium causam esse Spiritus. Quemadmodum enim, inquit, coniungitur Patri Filius, ita & Spiritus coniungitur Filio: & rursus, quemadmodum Pater præintelligitur ante Filium, non aliqua temporali distantia, nec realiter, sed intentione, ratione causalitatis; ita & Filius præintelligitur ante Spiritum similiter intentione, ratione causalitatis.

Item etsi in rebus humanis sensibilibus non omne exemplar alicuius causæ etiam eius est (in artificiatas enim exempla eorum non sunt etiam effectiue causæ eorum) at tamen quod naturaliter est alicuius exemplar etiam in ipsis rebus humanis, causæ est imaginis cuius exemplar est: multo igitur magis in diuinis, ubi & omnia alia, & ipsum exemplar naturaliter accipitur (nihil enim ibi præter naturam est) hæc propositio verificatur, videlicet, quod in diuinis personis alicuius exemplar est, & causæ eius est, cuius est exemplar: at ille magnus Gregorius miraculorum auctor, & inde nominatus, Filium exemplar Spiritus dicit. Patet igitur quod etiam causam eius eum putabat. Hoc idem a simili etiam probari potest. Magnus enim Basilius exemplar Filii Patrem ponit in quarto contra Eunomium, Gregorius vero prædictus in oratione quæ incipit, Hostes & alieni a catholica fide sunt, qui Filiū ex non ente dicunt; Filium exemplar Spiritus docet: at Basilius Patrem tamquā causam Filii, eius exemplar ponit: igitur Gregorius etiam Filium tamquā causam Spiritus, eius exemplar asseuerat.

Item sanctus Basilius, & plurimi alii doctores Filium imaginem Patris, Spiritum imaginem Filii dicunt: Filium item operationem Patris, Spiritum operationem Filii: Filium verbum Patris, Spiritum verbum Filii: Filium flagrantiam Patris, Spiritum flagrantiam Filii: sed secundum illa omnia dicitur Filius esse Patris tamquam ex Patre: igitur & Spiritus sanctus secundum eadem dicitur esse Filii, tamquam ex Filio.

Item si Spiritus non esset ex Filio, non distingueretur ab eo personaliter: quod cum falsum & absurdum sit, restat vt ex Filio sit. Quod autem non distingueretur ab eo personaliter, si non esset ex eo, hinc patet. Vnaquæque causa, vel principium alicuius rei dupliciter dicitur principium eius & causa. Vno modo vt quod, alio vt quo: puta forma quæ est in anima facientis, qua similem facit effectum id quod facit. Quare omne agens simile sibi agit secundum formam qua agit. Verbi gratia, huius imaginis causa est & ipse pictor, tamquam quod, & forma in anima pictoris, tamquam quo, cui similem pictor facit imaginem. Simili modo etiam in diuinis personis Pater quidem, hoc est eius diuina persona, est causa tamquam quod; diuina vero eius essentia tamquam quo: hæc enim est forma, cui similia fiunt quæ ex eo prodeunt. Quare Filius quoque & Spiritus sanctus consubstantiales ei sunt, eo quod omne quidem producat simile producat formam qua producat. Deus vero & Pater producat Filium & Spiritum diuina essentia; & ideo consubstantialia sibi producat. Si igitur Pater solus produceret Spiritum secundum eos qui ita afferunt, tunc nulla distinctio esset Filii a Spiritu sancto, cum nulla sit differentia nec in producente (idem enim est Pater) nec in forma qua producat (est enim eadem diuina essentia) nec in ipsis productis: sunt enim eiusdem formæ, vnius videlicet & communis diuinitatis; præsertim cum nulla illic materia sit, ex qua distinctio fieret. Ex quibus sequeretur, nullam esse eorum distinctionem adinuicem. Restat igitur aut Spiritum esse Filii causam, aut Filium Spiritus, ad hoc vt sit distinctio. At primum non est: igitur secundum est verum.

Item mitti in diuinis a causa esse significat: cuius testis est beatus Ioannes Chrysoströmus ad Arianos quærentes, quomodo eiusdem esset essentia qui mittit & qui mittitur, in trigesima nona homilia super Ioannem hoc modo respondens: Rursus ad res humanas sermones tuos adaptas, nec consideras, quod hæc ideo dicta sunt, vt & causam sciamus, & non incidamus in Sabellii hæresim: sed Spiritus mittitur ex Filio; igitur ex eo est.

Item ista mittendi potentia cum sit & in Patre & in Filio, secundum quam ambo mittunt Spiritum sanctum,

*Concil. Tom. 33.*

Mmm ij

quam etiam nostri concedunt, aut eadem est in Patre & Filio, aut alia & alia: sed si alia & alia, erit & maior & minor, & consequenter missiones diuersæ: quare nec vna potentia, nec vna eorum operatio erit. Et cum quorum potentia diuersæ, essentia quoque eorum diuersæ sint, alterius & alterius essentia erunt Pater & Filius. Sed hæc omnia absurda, & contra catholicam fidem sunt: non igitur est alia & alia; igitur eadem: sed in Patre potentia mittendi Spiritum sanctum est eadem cum potentia spirandi illum: semper enim spirat Pater Spiritum sanctum, & spirans illum mittit. Igitur etiam Filius simul cum potentia spirandi, & spirans illum mittit: ergo & Filius sancti Spiritus est productiuus. Illa vero, quam quidam aiunt secundam & temporalem missionem, tum nihil est, tum etiam per prædictam soluitur rationem. Quamquam etenim nusquam hæc duplicitas processionum reperiatur, tamen dato etiam, quod sit aliqua secunda missio quæ communis sit Patri & Filio, secundum Patrem eam & similem ei habebit: nihil enim eorum quæ communia sunt Patri & Filio, dissimile in altero eorum est. Sed Pater mittendi potentiam habet vna cum potentia spirandi: igitur & Filius cum spirandi potentia habebit potentiam mittendi.

Item quod natura alicuius est, etiam ex eo est secundum quod dicitur esse illius: Spiritus vero sanctus est Filii, & patet quod natura: non enim præter naturam, nec vt seruus. Est igitur Spiritus sanctus, vt Spiritus sanctus, videlicet vt diuina persona in Trinitate, ex Filio.

Item Spiritus sanctus est nomen relatiuum. Dicitur enim spiritus Patris, spiritus Filii: si enim esset absolutum, non diceretur alicuius. Nullum enim absolutum, secundum quod significatur a nomine, dicitur alterius, sed secundum aliquem alium respectum: quemadmodum homo, cum sit absolutum, non dicitur alicuius homo secundum quod homo, sed seruus, vel filius: sed Spiritus, secundum significatum huius nominis Spiritus, dicitur Spiritus Filii, quemadmodum & Patris. Est igitur relatiuum, & consequenter refertur ad spirantem. Est igitur Spiritus Patris & Filii tamquam a spirantibus & producentibus illum. Quod si quis dicat; Ideo dicitur spiritus Filii, quia ex

eo mittitur; falsa ratio est: e conuerso namque quia eius est, mittitur ex eo: priora enim sunt causa posteriorum. Prius autem est quod Spiritus sit Spiritus Filii, posterius vero quod mittatur ab eo. Siue enim istam temporaneam missionem dicas, posterior est absque dubio quam quod sit eius Spiritus; siquidem hoc æternum est. Siue æternam missionem intelligas, hoc etiam modo mente præintelligitur, quod Spiritus sit Spiritus Filii: quia esse quidem Spiritum Filii Spiritum, intelligitur vt habere; mittere vero vt dare: habere autem præintelligitur prius quam dare. Quare pro nobis hæc ratio facit. Quia enim natura est eius Spiritus, natura illum mittit: processio vero naturalis in diuinis cum aut per generationem, aut per spirationem sit, hæc autem non sit per generationem, relinquatur quod est per spirationem. Missio igitur ex Filio Spiritus, est eius ab eo spiratio.

Item Spiritus sanctus accipit a Filio: *Ille enim, ait, ex meo accipiet.* Quod autem accipit, est eius essentia: nec enim est aliud ipse, aliud eius essentia; esset enim compositum. Cum igitur summe simplex sit, essentiam suam & esse accipit ex Filio. Hoc enim quod dicit, *Ex meo accipiet*, non quemadmodum aliqui putant, ex meo Patre intelligendum est. Primo, quia hæc locutio neque Græca, neque Latina est. Nam si cum dicitur, *ex meo*, subintelligendum esset, Patre; hoc, *meo*, esset pronomen generis masculini: nullus autem vel in Græca vel in Latina lingua edoctus aut masculini aut feminini generis pronomen profert, nisi cum additione, meus frater, vel meus amicus, aut mea ciuitas, vel domus, dicens. Meus etenim simpliciter absque additione non magis patrem quam hostem significat. Deinde ab ipsa intentione Saluatoris hæc ratio vana probatur. *Omnia enim, inquit, quæcumque* Ioan. 16. *habet Pater, mea sunt. Ideo dixi, ex meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ita vt tale ex iis fiat argumentum: Spiritus accipit ex iis quæ Patris sunt: sed omnia Patris mea sunt: igitur Spiritus accipit ex meis, vel ex meo. Et cum ipse & sua vnum & idem sint propter summam simplicitatem, accipiendo de suis, accipiet ex eo. Huius autem sententiæ sanctus quoque Athanasius est; ait etenim: Non enim verbum a Spiritu accipit, sed Spiritus a Verbo.

M m m iij

Iohn. 16.

Quid igitur accipiat a Filio, considerandum est. Patet quod sapientiam & scientiam: *Ex meo enim, inquit, accipiet, & annuntiabit vobis.* Annuntiare enim nihil aliud est, nisi docere & illuminare apostolos: hoc autem est sapientie opus: igitur sapientiam a Filio accipit Spiritus. Quid igitur? absque sapientia spiratus fuit a Patre, & ideo oportuit eum a Filio accipere sapientiam? aut aliud est eius esse, aliud sapientia? At hæc absurda sunt. Idem enim est sapientia & esse eius; & a quo accipit esse, ab eodem etiam accipit sapientiam: & cum spiratur, & accipit esse & subsistere, etiam accipit sapientiam. Cum igitur sapientiam a Filio quoque accipit, ipsum esse & subsistere simul ab eo accipit. Igitur Filius etiam est ei causa essendi, quemadmodum & Pater.

Item si Spiritus accipit a Filio; ergo Filius dat ei: sed ipsum dare in diuinis personis significat idem quod producere. Chrysostomus etenim illud euangelicum exponens, *Omne iudicium dedit Filio*, ait, & vt discas, quod dedit idem esse, atque generauit. Audi alias auctoritates, ex quibus hoc significatur. Quemadmodum enim Pater habet vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso. Quid igitur, primo genuit eum, & deinde dedit ei vitam? ergo absque vita genitus est. Sed hoc nec demones quidem dicerent: vna enim cum impietate magna etiam ignorantia esset hoc dicere. Quemadmodum igitur dedit ei vitam, pro eo quod genuit eum vitam, intelligendum est: ita & illud, *Dedit ei iudicium*, pro eo quod iudicem eum genuit, capiendum est. Similiter igitur cum Filius det Spiritui sapientiam, producit illum sapientiam, esse scilicet & subsistentiam ei dans, quam accipit cum spiratur ab eo. Igitur spirationis Spiritus etiam Filius causa, siue principium est.

Ibidem.

Item Filius de se quidem ipso dicit: *Quæ audiui a Patre meo, annuntiaui vobis.* de Spiritu vero: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Quod igitur significat de Filio hoc, quod audit a Patre, idem & de Spiritu significat ipsum audire: sed de Filio ipsum audire significat esse a causa, & ipsum generari. Audire enim nihil aliud est, nisi sapientiam & scientiam accipere: Filius autem non primo natus, deinde postea accepit

scientiam, vel sapientiam, sed natus est sapientia, in ipso generari accipiens scientiam & sapientiam, & cetera omnia, quæ idem sunt cum eius essentia. Hanc igitur accipit a Patre cum audit ab eo, & audire eius generari est. Igitur & audire Spiritus sancti non significat, nisi quod a causa est, & spirationem eius. Quare a quo audit, ab eo etiam procedit: sed non solum a Patre audit, sed etiam ex Filio, quod ex ipsis verbis Saluatoris apparet, ubi dicit: *Ex meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Annuntian- Ioh. 16. di namque causa est ipsum audire: at eiusdem annuntian- di quoque hoc causa est, quod ex Filio accipit. Quare ex Filio accipere, vel audire, vnius eiusdemque rei, videlicet annuntian- di, causa est. Igitur in diuinis idem est audire & accipere; & cum accipiat ex Filio, igitur audit etiam ex eo. Eiusdem sententiæ sanctus etiam Basilius est in regula monastica, de Spiritu sancto dicens: Qui docet & suggerit omnia quæcumque audit a Filio. Cum igitur audit a Filio, etiam procedit ex eo; quod eius audire idem est quod procedere, vt dictum est.

Item esse Patrem, aut generare, non continet in se rationem spirandi; esset etenim Spiritus Filius: sed Filius omnia simpliciter habet quæ & Pater, præterquam quod generet, vel quod sit Pater. Dicit enim sanctus Cyrillus in secundo ad Hermiam: Coæternum credimus Filium Patri, & omnia quæcumque æquali mensura habentem, præter ipsum generare: hoc namque soli Deo & Patri tribuitur. Idem in sermone de Trinitate, in Filio vnigenito per omnia simili & æquali Patri, præter paternitatē. Habet igitur spirandi potentiam Filius, cum hoc præter rationem paternitatis sit: omnia vero Patris præter paternitatem, vel præter vim generandi, ipse quoque habet, vt Cyrillo placet.

Item Spiritus sanctus dicitur donum vt Patris, ita & Filii: ergo est ex utroque. Antecedens omnibus doctoribus placet, consequens probatur. Donum etenim est dantis: aliquid vero alicuius est aut secundum idemtitatem, aut vt possessio eius vel seruus, aut secundum originem: & cum nullus modorum priorum conueniat, cum dicimus Spiritum sanctum donum esse Filii, restat vt secundum tertium modum, originis videlicet, dicatur Spiritus sanctus Filii donum: ergo Filius est eius origo & causa.



Item Gregorius Nyssenus in homilia super, Pater noster, quæ incipit: Quando Moyſes populum Iſraeliticum ad montem diſcendi cauſa adducebat: diſtinctionem diuinæ Trinitatis tradens, Patrem quidem a Filio & Spiritu ſancto diſtinguit, eo quod ipſe quidem abſque cauſa eſt, ille vero a cauſa: Filium vero & Spiritum ſanctum, quibus commune eſt quod a cauſa ſint, diſtinguit abinuicem, eo quod ille quidem ex Patre eſt, hic vero ex Patre & Filio. Ita enim in antiquioribus codicibus ſcribitur. Quare manifeſte etiam ſecundum iſtum doctorem Spiritus eſt ex Filio. Quod ſi qui ſecundum moderniores libros Spiritum Filii dicant eſſe ſcriptum, non ex Filio, nec hoc modo tamen aliquid plus habebunt. Idem enim concludetur etiam ex hoc. Patet namque quod cum Filio & Spiritui ſancto commune ſit principiata, ſiue cauſata eſſe (diximus pluries quomodo capiunt ſancti doctores Græci cauſatum & principiatum in diuinis, videlicet pro eo quod eſt a principio) quærit quomodo diſtinguerentur abinuicem, & aſſerit, quod quamquam commune habeant hoc, quod ambo ſint cauſata, ſiue principiata, tamen Filius ex Patre dicitur, & vltra non procedit eius proprietatis: Spiritus vero & ex Patre dicitur, & vna cum hoc etiam Filii eum eſſe teſtantur ſcripturæ. Quare Spiritus Chriſti quoque ſpiritus eſt, Filius vero nec eſt Spiritus, nec dicitur. Et hoc putat hic ſanctus doctor ſatis eſſe ad diſtinguendum, quod Spiritus dicatur ſpiritus Filii, Filius vero non dicatur Filii Spiritus. Si igitur quod Spiritus dicatur ſpiritus Filii, diſtinguit illum a Filio; ſecundum autem noſtros nil aliud illum a Filio diſtinguit, niſi diuerſus proceſſionis modus, ipſum videlicet ſpirari: idem ergo eſt Spiritum eſſe Filii ſpiritus, atque ex Filio procedere. Cuius ergo dicitur Spiritus, ex eo etiam procedit: dicitur autem etiam Filii Spiritus, tamquam & Patris: igitur etiam ex Filio quemadmodum ex Patre procedit. Et notandum, quod vana eſt quorundam expoſitio dicentium, propter conſubſtantialitatem dici Spiritum Filii ſpiritus; cum hic ſanctus doctor tamquam diſtinctiuum hoc accipiat, quæ vero propter conſubſtantialitatem dicuntur, vniant, non diſtinguant. Si igitur non propter conſubſtantialitatem dicitur Spiritus Filii, omnes demonſtrationes Latinorum  
potiſſi-

potissimæ, & absque aliqua contradictione remanent, quibus ex eo quod Spiritus dicatur spiritus Filii, etiam ex Filio eum procedere probant. Per hanc enim falsam expositionem aliqui eas euertere conantur propter consubstantialitatem, putantes dici spiritum Filii. Hanc autem sententiam Gregorius Nyssenus vt falsam manifeste reprobatur, accipiens illud tamquam distinctiuum. Sed cum ad ostendendam quidem huius conclusionis veritatem, Spiritumque sanctum ex Patre & Filio procedere probandum, multa argumenta, multæ auctoritates, multæ rationes sint, satis tamen ex prædictis tibi puto fecisse.

*Solutiones inconuenientium, quæ a Græcis opponuntur Latinis  
& ceteris recte sentientibus.*

## CAPVT VIII.

**C**VM vero quædam inconuenientia nobis, qui veritatem confitemur, ab illis inferuntur, qui nec quid dicant sciunt, nec de quibus asserunt; illa quidem, quæ contra argumenta probantia veritatem opponuntur, in ipsismet argumentis breuiter soluimus, vt vidisti. Eorum vero, quæ contra ipsammet conclusionem inferuntur, eligens potiora & quæ magis verisimilia videntur, solutiones pro posse paucis & sufficienter hic inferam, vt tibi oratio ista quam fieri potest completa sit, & ad omnia sufficiens. Quamquam hæc inconuenientia non contra nos inferuntur, nec nos tenemur reddere rationem: sed contra sanctos doctores, qui nobis huius dogmatis, huiusque conclusionis principes & auctores fuerunt: & non solum contra occidentales, qui apertissime hanc docent conclusionem, sed non minus contra orientales. Ab ipsis igitur etiam solutiones quærendæ sunt, non a nobis: quod & fecerunt, Spiritu sancto præuidentes omnes insurrectiones hæreses. Attamen nos etiam ab illis illuminati, & ab aliis viris beatis, qui amplissima de hac re opera sua nobis reliquerunt, ad ea nosmetipsos opponemus. Putant igitur Patrem & Filium aut in vnâ confundi personam, si quis ex vtroque procedere Spiritum sanctum dicat; aut duas causas, duoque principia necesse esse ponere: vtrumque vero horum absurdissimum est. Nos vero ad confusionem quidem personarum hæc dicimus: quod si operationem spi-

randi constitutiua personæ paternæ poneremus, tunc sequeretur hoc inconueniens, & Filius esset vna eademque persona cum Patre. Cum vero constitutiua quidem paternalis personæ proprietas, paternitas, & ipsum generare probatum fuerit, spirare vero proprietas quædam sequens eius personam iam constitutam; cur ille, cui communis est cum Patre non constitutiua proprietas, vna eademque persona cum ipso esset? Quemadmodum enim commune habens Filius cum Patre, quod Spiritus dicatur Spiritus eius, prout Patris; item quod ab eo mittatur prout a Patre; tamen non est eadem persona cum Patre, eo quod non est constitutum, nec quod Spiritus dicatur Spiritus Patris, nec quod a Patre mittatur. Ita etsi communem habeat cum Patre spirandi potentiam, non ideo in eandem cum eo confunditur personam, cum spirare non sit paternalis personæ constitutum. Quare donec non probetur spirandi potentiam paternalis personæ constitutiua esse, nec confusio personarum inde probari poterit. Sed spirandi potentiam constitutiua esse, probari non potest: cum quia sequeretur quod Pater haberet duas personas & duas hypostasēs, vt in principio probatum est; hoc autem inconueniens est: tum quia hæc petitio principii esset. Ponere namque potentiam spirandi constitutiua esse personæ Patris, & ex Patre solo Spiritum procedere, vnum & idem est. Quare qui hoc dicit, petit principium. Cum autem hoc non probetur, nec confusio personarum sequitur, quamquam sint qui credant. Dictum est autem in superioribus quænam eorum quæ de Deo dicuntur, communia sunt, quæ propria; & priorum quænam duabus personis propria, quæ vero vni soli: eorum quæ vni soli, quænam ita propria sunt, vt & personalia, siue hypostatica sint: quæ vero ita propria vt notiones, non vt hypostatica: quale ipsum quoque spirare dictum est esse. Igitur ex iis quæ nunc dicta sunt, & ex iis quæ in superioribus præsupposita fuerunt, huius inconuenientis solutio patet. Nec habet quisquam amplius accusare Latinos, quod confusionem introducant personarum. De duabus vero causis, siue duobus principiis, quæ in theologia Latinos introducere quidam autumant, hocque inconueniens magis eos sequi quam vmbra

corpora putant, quid dicemus? Nempe hoc in primis dicendum est, quod ipsa sola auctoritas sanctorum sufficiat fidelibus, necesse est; qui vtrumque dixerunt, & quod Spiritus a Patre procedit & Filio, & quod tamquam ab vno principio. Non enim duo principia Spiritus sunt Pater & Filius, inquit Augustinus, sed vnum eius ambo principium sunt; quemadmodum creaturæ non tria principia, sed vnum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, ipsa Trinitas Deus. Quam igitur aliquis hac apertiore quaerat solutionem, quam Spiritus sanctus per huius sanctissimi patris os & doctoris locutus est? Non enim lateat nos, quod idem inconueniens, multorum videlicet principiorum, & multorum deorum in productione etiam creaturæ sequeretur, si quis non pie consideraret, quod a fide Christiana est alienum, & conueniens gentilibus. Hoc enim est de quo maxime nos gentiles accusamus, quod multos videlicet introducant deos, multosque creatores. Cum igitur nos etiam tres diuinas personas creaturæ causam & principium credamus, nos etiam hoc inconueniens sequeretur, & multa videremur ponere principia, multaque diuinitates, si quis non recte intelligat. Sed audi quomodo sancti doctores sapientissime hoc soluunt. Nam et si Patrem & Filium & Spiritum sanctum creaturæ causam esse credamus; quoniam tamen ad Patrem omnia referuntur, & quia ab eo habent & Filius & Spiritus sanctus & ipsum esse & creandi potentiam. Si enim Pater non esset, Filius & Spiritus sanctus nec creandi potentiam haberent, nec omnino essent.

Item quoniam vna & eadem numero potentia erat cum Patre Filius & Spiritus sanctus, ex vna & eadem numero & communi diuinitate, siue diuina essentia prodeunte; ideo merito vnus Deus & vnus creator sunt. Hoc idem igitur de processione Spiritus ex Patre & Filio sufficiens sit illis, qui de hoc quaerunt. Quoniam etenim vna & eadem spirandi potentia ex vna & eadem essentia prodeunte Pater & Filius Spiritum sanctum spirant: & quoniam a Patre hanc spirandi potentiam Filius habet, ideo vnus spirator, vna causa & vnum principium processionis Spiritus ambo sunt. Hæc igitur, vt dictum est, sufficerent non contententibus propter doctorum au-

etoritates : idem tamen ratione quoque probatur. Cum enim duo sint, ad quæ omne productum refertur, forma videlicet, secundum quam producitur, & suppositum aut persona ex qua: si Pater & Filius quemadmodum duo sunt secundum personas, ita & forma, secundum quam producunt, duo essent, tunc necessario duo essent principia Spiritus: cum vero etsi personis duos eos esse fateamur, forma tamen qua producunt, cum vnum numero sint, & omnino indistincti (est enim ipsa diuina essentia vna & eadem numero communis ambobus, secundum quam ambo Spiritum producunt) non est necesse, imo impossibile est duo principia dicere. Est etenim vna numero essentialis actiua spiratio, quæ cum eis propria sit, non potest esse communis Spiritui sancto, eo quod, vt sæpius dictum est, opponitur eius proprietati. Omnia enim essentialia communia Filio & Spiritui sancto cum Patre sunt; saluis tamen eorum proprietatibus. Omnia enim est Filius quæcumque & Pater, Basiliius & ceteri doctores aiunt, manens in eo quod est Filius, videlicet in eius proprietate. Quamquam etenim æqualis & similis sit Patri, generare tamen seipsum non potest, cum sit eius proprietati oppugnans. Eodem modo Spiritus quoque etsi omnia communia habet cum Patre & Filio, seruet tamen suam proprietatem necesse est; quia spirare seipsum non potest, cum hoc oppugnet eius proprietati. Ex his igitur clarissime patet falso Latinos accusari, quod duo ponant in diuinitate principia. Item aut perfecta est, aiunt, ex Patre processio, & superfluit illa quæ ex Filio est: aut si hæc necessaria est, imperfecte ex Patre procedit. Hoc vero inconueniens est, imperfectam operationem dicere Patris, & ad suam perfectionem Filio indigere. Ad quæ respondemus, illos qui hæc dicunt, ideo errare, quia omnino duos esse putant Patrem & Filium, & eorum operationes, humanis exemplis inhærentes: quia vident duorum hominum duas esse operationes numero, etsi ad vnum effectum tendant, & distinctas abinuicem, putant idem contingere etiam in Deo: quod absurdissimum est. Namque Pater & Filius personis solummodo distincti, in ceteris vnum & idem sunt: quo fit, vt etiam spirandi potentiam vnã & eandem numero habeant, & simul, non

seorsum : nec hic prius, alter posterius; nec hic alia, alter alia spiratione spiret Spiritum, vt ii qui corporales in omnibus sunt, putant; sed simul & absque tempore vna eademque numero spiratione perfecte ambo & supra omnem perfectionem eum spirent. Neesse enim est, eadem toties ad eos dici, quoties audientes non intelligunt. Aut quid isti dicent, si quis eos econtra interroget, si perfectam credunt mundi ex Patre creationem, an non? Si enim perfectam, quare Filium quoque & Spiritum creatores nominant? Si vero imperfectam, & ideo Filium & Spiritum Patri associant, considerent quid dicant. At perfecta quidem ex Patre mundi creatio, vna vero eademque numero Filii & Spiritus operatio ad eius creationem est, & non alia Patris, alia horum: tunc enim haberent locum hæc puerilia dubia. Ita igitur & in proposito perfecta quidem & super omnem perfectionem est Spiritus ex Patre processio: eadem vero & vna numero ex Filio quoque eiusdem Spiritus spiratio est, non alia & alia, nec aliter & aliter, nec prior & posterior, sed simul & eadem, & similiter, cum vna & eadem numero spirandi potentia Spiritum ambo spirent. Et nullus rursus blasphemiam hanc rationem accuset, audiens nos ex creatura arguentes: & ideo putet Latinos Spiritum sanctum inter creaturas ponere. Fuerunt etenim & sunt, qui in hanc etiam proteruiam & insaniam deuenerunt, vt hoc quoque Latinis imputare auderent. Hæc enim aut stultorum, aut iocari volentium sunt; aut illorum qui ignorant sanctos patres & doctores sapius a creatura & sensibilibus exemplis manucentes nos ad credendum res intellectuales & inuisibiles atque diuinas, ab eis quæ & exile vestigium diuinæ similitudinis habent, illa probantes pro posse. Trinitatem etenim personarum orientales quidem intellectu, verbo & spiritu; item oculo, fonte & fluuio; rursus \* soli, radio & luci: occidentales vero aliis similibus ostendere conantur. Quamuis vnumquodque eorum exemplorum, etsi ratione tria sint, vna tamen hypostasis, siue substantia realiter est. Patres tamen non putarunt propterea propositam veritatem offendere, sed quantum intentioni eorum conueniebat, ex iis exemplis accipientes, reliquum tamquam alienum a veritate repellebant. Et nemo eos nec accusauit,

Nann iij

\* f. sole,  
radio &  
luce:

nec accusabit, donec mentis compos est, quod talibus vfi fuerint exemplis. Quomodo igitur Latinos recte quis accusabit, si ad ostendendum vnam eandemque numero esse spiratium in Patre & Filio potentiam, vtantur exemplo ab omnibus concessio, vna eademque numero a Trinitate entium creatione? aut quomodo propterea calumniari eos aliquis audebit, quod Spiritum sanctum cum creaturis connumerent? praesertim cum nullus eorum qui nunc viuunt Latini, nec qui post diuisionem & infautum infelixque illud schisma fuerunt, hoc primo dixerit; sed illi prisca sancti, illi antiqui doctores, illa luminaria magna, quorum sonus in omnem terram exiuit, & verba in fines orbis terrae, quique a nobis & nostris vt praecipui doctores & sancti merito celebrantur, haec exempla & inuenerint & dixerint. Augustinus etenim, qui profunditate scientiae omnes antecellit, sanctitate & feruore caritatis in Deum nulli cedit: Augustinus est, inquam, qui haec eisdem verbis dicit, Patrem & Filium scilicet vnum principium esse Spiritus sancti, quemadmodum Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum principium creaturae credendum est. Accusent ii qui facile cuncta audent, & beatum Athanasium, qui in dialogo orthodoxi cum Ariano dissimilem Filium Patri, & Spiritum Filio & Patri ponente, ita dicit: Dei naturam Filii & Spiritus sancti causa est, tum omnis creaturae: & simili audacia aut Filium & Spiritum cum creatura ponant, aut creaturam cum Filio & Spiritu sancto vt Deum colant, cum eandem eorum causam esse, Dei videlicet naturam, sanctus doctor docuerit. Sed haec impudentium & ignorantium hominum sunt. Et cum inconuenientia, quae quidam contra veram nostram conclusionem suis rationibus inferre solent, haec potissimum sint, & ad haec si qua alia sunt, referantur: patet, quod illis, Deo fauente, sufficienter solutis, cetera & simul corruunt, & quae ad haec dicta sunt, ad omnia etiam illa sufficiunt.

*Expositio auctoritatum doctorum quorundam, quæ Latinis  
contrariæ esse videntur.*

## CAPVT IX.

CETERVM restat considerare quæ a quibusdam aucto-  
ritatibus doctorum oppositis, vt arbitrantur, Latinis  
& huius dogmatis veritati arguunt, putantes contradi-  
ctionem ex eis concludere: quarum vna quidem est illa,  
quam in theologicis suis beatus Ioannes Damascenus ait:  
Spiritus Filii dicimus, ex Filio vero non dicimus. Alte-  
ra vero sanctissimi Dionysii Areopagita in libro de di-  
uinis nominibus dicentis: Solus fons diuinitatis, qui supra  
omnem substantiam est, Pater est. Nam & si aliqua repe-  
riantur, eiusdem tamen sententiæ sunt, & ad hæc tam-  
quam potissima, & quæ videntur expresse Latinis esse  
contraria, referuntur. De his ergo duabus dumtaxat con-  
siderandum est. Ad illud ergo, quod Ioannes Damasce-  
nus ait, audi quam simpliciter, quam iuste, quamque suf-  
ficienter ad persuadendum pro Latinis, & eorum opinio-  
ne confirmanda respondebimus. Nullum dicimus nomen  
ita sufficiens esse, vt vnum solum possit præcise significa-  
re, quod in diuinis exprimere volumus: quo fit, vt multis  
& diuersis, altero vnam, altero aliam rem, nec tunc com-  
plete, significemus. Cum enim hæc nomina & verba a no-  
bis inuenta sint, & qui natura regimur, & qui naturalibus  
rebus ea significandis imponimus, nec inuentoris, nec  
eorum quibus imponuntur, naturam excedere possunt:  
ideoque diuinas res complete significare minime possunt.  
Quare imperfectionem nominum non attribuendam esse  
rebus diuinis, omnis qui recte sapit, affirmat. Sed cum aliis  
nominibus diuinas res exprimere non possimus, vtendum  
quidem his consuetis nominibus est. Utendum tamen  
in quantum rebus significatis conueniunt, imperfectionem  
eorum, & si quid inconuenientiæ secum portant, refellendo,  
& per aliud nomen defectum alterius sup-  
plendo. In quæstione itaque proposita, videlicet in proces-  
sione Spiritus ex Patre & Filio, duo hæc necessario exi-  
guntur. Vnum, quod Pater & Filius æqualiter atque simi-  
liter Spiritum sanctum spirent, non vnus perfecte, alter  
imperfecte: hoc enim contrarium est fidei veritati. Alte-



rum, quod Filius vt in aliis, ita etiam in spirando relationem & ordinem habeat ad Patrem. Vtrumque enim horum insunt Patri & Filio. Summa etenim est in eis & potentia æqualitas, imo idemtitas, & summus ordo. Quæcumque enim Filius habet, ipsum etiam spirare Spiritum habet a Patre. Si igitur vnum nomen esset sufficiens & summam potentia eorum idemtitatem, & summum adinuicem ordinem simul significare, illo profecto, omnibus aliis postpositis, vtendum esset. Nec vero non solum impossibile est, vnum tale reperire nomen: & ideo necessario vno nomine alterum horum, altero vero alterum exprimendum est. Verum etiam hæc diuersa nomina ad hoc quod vtrumque per se vnum tantum significatorum prædictorum significant, etiam imperfecte illud vnum significant. Quare nos recte quidem & pie quid rei significanda conueniat, recipientes, reliquum, & quod imperfectionis est, repellimus. Tales sunt ex præpositiones, ex, videlicet, & per. Præpositio namque, ex, æqualitatem quidem, cum de aliquibus duobus vel pluribus accipitur, significat: ordinem vero vnus ad alterum, minime. Si quid enim ex duobus fieri dicimus, puta si quod pondus ex duobus trahitur, similiter quidem & æqualiter ex utroque trahi, quo ad vim præpositionis, significamus. Ordo vero vnus ad alterum non inde apparet. At præpositio, per, e conuerso ordinem quidem significat, æqualitatem vero minime. Si quid enim ex aliquo per aliquem esse aut fieri dicatur, manifeste apparebit illum de quo dicitur, per, ordinem quemdam ad illum de quo præpositio, ex, prædicatur, habere, & hunc ab eo accepisse id quod per eum fit. Æqualitas vero horum adinuicem minime significatur. Minoris namque potentia semper & auctoritatis est ille, de quo præpositio, per, prædicatur. Vnde sancti patres & doctores, cum orientales tum occidentales, cum ad potentia æqualitatem, imo idemtitatem Patris & Filii respiciunt, ex Patre & Filio dicunt Spiritum sanctum procedere & esse. Cum vero ordinem eorum adinuicem ostendere volunt, ex Patre per Filium eum procedere, & ex Patre per Filium, siue ex Deo per Filium, eum esse docent. Sunt tamen nonnulli sanctorum, quorum aliqui maioris fecerunt ordinem, vt maior pars  
orien-

orientalium : aliqui æqualitatem , siue idemtitatem , vt plurimi occidentalium . Et quemadmodum occidentales pluris facientes æqualitatem sapius vtuntur , ex : ita orientales , qui ordinem maioris æstimant , cum quibus & beatus Ioannes Damascenus connumeratur , per , vt plurimum vtuntur , raro admittentes præpositionem , ex : non sibi inuicem contradicentes , sed diuersa significata diuersis nominibus exprimentes . Quare de mundi creatione , etsi absque vlla ambiguitate ex Filio etiam omnia producta sint , prout ex Patre , rarissime tamen reperies apud doctores , præsertim orientales , quod mundus sit productus ex Filio , sed semper per Filium , ob illud Ioannis : *Omnia per ipsum facta sunt* . Ita magis ordini adhæserunt <sup>Ioan. 1.</sup> patres orientales , & ideo vtuntur , per , quæ sola ordinem significat . Præterea lingua Græca per hanc præpositionem , ex , principalem significat causam : qualem Filium esse , vel Spiritus , vel mundi , nullus omnino concedet . Quare fugiunt doctores de Filio ipsa , ex , vti , ne quis eum principalem causam putaret : & non solum ipsa , ex , verum etiam nomen causæ fugiunt de Filio dicere respectu ad creaturam : quamquam & Filius & Spiritus passim ab omnibus fidelibus causa mundi esse credantur , & vna cum Patre causa : timentes ne quis propterea principalem causam eum esse putet , a quo vt falso sibi cauent . Vnam enim principalem & deitatis & creaturæ causam sciunt , Patrem videlicet solum . Si igitur Latini cum sanctis occidentalibus , & aliquibus orientalibus , ex Patre & Filio Spiritum sanctum dicentes , non principalem causam Filium ponunt , sed eorum potentia idemtitatem & æqualitatem per hoc profitentur : Damascenus vero principalem causam negans , quæ per , ex , significari solet , habuit respectum ad ordinem , & ideo vtitur , per , ex Patre per Filium procedere Spiritum asserens , per quem Filii ad Patrem ordo manifestatur , æqualitatem , siue idemtitatem eorum potentia nec ipse negans , quo modo magis inuicem consona dicantur . Ipse enim est <sup>\* Scilicet Damascenus.</sup> , qui de Patre inquit : Ipse quidem est intellectus Verbi abyssus , Verbi genitor , & per Verbum spirator declaratiui Spiritus . Et rursus : Spiritus vero sanctus declaratiua absconæ diuinitatis potentia Patris , ex Patre per Filium est procedens . Quod

autem per hanc præpositionem, per, tum per hunc, tum per alios doctores, Filius quoque cum Patre causâ subsistentiæ Spiritus ostenditur, satis in oratione de vnione a nobis probatum est, præsertim cum addatur hoc verbum, procedere, quod etiam secundum nostros nihil aliud quam ipsum esse personale Spiritus sancti significat. Et ad auctoritatem quidem Damasceni hæc sufficiant.

Ad illa vero sancti Dionysii, solum fontem diuinitatis Patrem dicentis, vt clarius appareat, auctoritatem illam non habere illum intellectum quem nostri putant, audiendum est primo illos doctores, qui etiam Filium dicunt fontem Spiritus sancti, non dico gratiarum Spiritus non subsistentium (hac enim abutuntur ad omnia huiuscemodi responsione) sed ipsius personæ Spiritus sancti. Primo itaque Athanasius in sua contra Arianos oratione illud psalmi, *Quoniam apud te est fons vitæ*, exponens, sciebat etenim, inquit, Patrem videlicet apud se habere Filium fontem Spiritus sancti. Patet igitur, quod ipsam personam Spiritus hic dicit, non gratiam non subsistentem: habemus enim a sancto Basilio traditam regulam, quod cum audimus Spiritum cum additione sanctum, nil aliud quam personam Spiritus intelligere debeamus. Cum igitur hic Filius fons Spiritus cum additione sancti dictus sit, patet, quod personæ eius fons dictus est. Deinde quoque ipse magnus Basilius, qui hanc nobis tradidit regulam, fontem Spiritus sancti Filium nominat, dicens, Fons vitæ Filius. ait enim Dauid ad Patrem: *Quoniam apud te est fons vitæ*. Et rursus alius propheta dicit de Iudæis: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuentis*. Aqua vero viuens dicitur Spiritus sanctus. Et notandum, quod Spiritum sanctum dicit, significans ipsam eius personam: persona vero Spiritus sancti Deus est. Filius igitur cum sit fons Spiritus sancti, fons est diuinitatis manifestissime. Quare cum sancti Dionysii illa auctoritas, solum fontem diuinitatis Patrem inquentis, prædictis sanctorum auctoritatibus non contradicat, (nefas est enim etiam cogitare, quod sancti doctores inuicem contradicant) aliud quam vulgus putat, intelligit: nec ideo dicit hæc ille doctor, quasi negans Filium esse fontem Spiritus sancti, sed ipse quoque vna cum prædictis doctoribus eum

*Psalm. 35.*

*Ierem. 2.*

fontem esse Spiritus sancti dicit, hoc est, eius personæ. His igitur declaratis respondemus, quod non omnimodam diuinarum personarum distinctionem abinuicem hic, vt nostri falso arbitrantur, sanctus doctor tradere proposuit; & patet, quia nullam Filii distinctionem & Spiritus sancti tradidit. Non igitur omnium trium personarum abinuicem distinctionem, sed Patris dumtaxat ad reliquas tradit. Patrem igitur in parte ad Filium comparans, & eorum abinuicem distinctionem tradens, solum fontem Patrem ait, ac si diceret, Patrem quidem fontem Filii esse, Filium vero fontem Patris minime esse. Et quod de Patre & Filio dumtaxat hic speculetur, a sequentibus manifestatur. Ea etenim, inquit, quæ sunt generationis diuinæ, quæ super omnem substantiam est, non conuertuntur adinuicem. Hoc enim nomen generationis diuinæ Patrem & Filium dumtaxat respicit, cum ille generet, hic generetur. Hoc autem manifestius apparet, cum subiungit: Cum Pater non sit Filius, nec Filius Pater. Patet igitur, quod generare, & ipsam paternitatem soli Patri tribuens, solum fontem eum ait diuinitatis; ac si diceret: Solus Pater, solus generans est, nec ipse generatus, nec Filius generans, cum ea quæ sunt generationis diuinæ, non conuertantur adinuicem. Et hæc quidem vera eius auctoritatis expositio simul & solutio est. Quod si quis etiam diceret Patrem solum fontem generationis diuinæ, quæ supra omnem substantiam est, tamquam solum Filii simul & Spiritus principium, non ab re diceret: solus enim ille amborum principium est, & solus fons, non ex fonte. Filius vero est quidem fons, doctoribus ita docentibus, sed fons ex fonte. Huius autem sententiæ & beatus Augustinus in quarto de Trinitate est; ait etenim, & quod dicit Dominus, *Quem ego mittam vobis a Patre*, probat Spiritum sanctum & Patris esse & Filii. Etenim cum dixisset, *Quem mittet Pater*, addidit, *in nomine meo*: non tamen dixit, quem mittet Pater a me, quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis a Patre*: ostendens videlicet, quod totius diuinitatis, vel vt melius dicatur, deitatis, Pater est principium. Hoc beatissimo doctore quem digniorem quæremus mentis Dionysii expositorem? Quis hoc melius intellexit? In

Concil. Tom. 33.

Oooo ij

quo, vt in illo, Spiritus sanctus locutus est? Quod enim ille dixit solum fontem diuinitatis, quæ super omnem substantiam est, hic totius deitatis principium inquit: cum Pater scilicet a nullo principio sit, sed ipse sit Filius & Spiritus sancti principium; Filius vero principium habens Patrem, ipse etiam principium sit Spiritus sancti. Sed ne te offendat rursus nomen totius deitatis, nec opponas toti partem, tamquam si Filius partis esset principium: deitas enim non est partibilis. Hic vero defectus imbecillitatis nominum est, quem qui ad res significatas transfert, non recte, nec pie agit. Ad exponendam igitur auctoritatem prædictam, & oppositionem inde sumptam soluendam, etsi multi alii modi essent, tamen quæ dicta sunt, ita manifesta & clarissima sunt, vt sola sufficiant. Probato enim quod Filius sit etiam fons deitatis, (siquidem fons Spiritus sancti est sanctorum patrum sententia, Spiritus vero sanctus Deus est; quibus beatum Dionysium contradicere nullus fidelium dicet) restat vt hoc quod dicit Dionysius, solum fontem deitatis Patrem esse, secundum prædictos modos, aut alterum illorum, & non aliter dixerit.

*Breuis epilogus omnium quæ dicta sunt in hoc opere.*

C A P V T X.

**E**GO quidem tua gratia, clementissime vir, quod petisti pro posse compleui. Quæ enim acta in Concilio fuerunt, ex parte narraui: vtriusque quæstionis rationes breuiter reddidi. Quæ inferuntur inconuenientia contra veritatem conclusionis, siue ex rationibus aduersariorum, siue ex auctoritatibus doctorum, solui, & quidem, vt puto, sufficienter. Ex quibus, ni fallor, fidei nostræ veritas clarissime probata est. Tuum vero erit, & aliorum, quorum in manus hoc opus legendum peruenit, attente absque passione & sapius eadem legere & relegere, & bene quæ in eo dicta sunt contemplari: fortassis etenim non inutilis, neque labori nostro inconueniens vos fructus sequetur, sed qualis maximi æstimandus est. Siquidem veri, nec inquirendi fructuosior labor est, nec inuenti preciosior fructus. Sed ante omnia sanctorum patrum & doctorum occidentalium auctoritates,

quas cum his simul ad te mitto, legentes attente, ex his colligetis problematis huius clarissimam veritatem. Si qui vero non veritatis, sed contentionis amici, aut meis rationibus, aut dogmati Latinorum instantias inferant; eos deridentes, & per patrum auctoritates facillime arguentes: omnis etenim ratio his contradicens reprobanda est, tamquam veritati contraria, siquidem patres veritatem locuti sunt. Tu vero vna cum occidentalium patrum testimoniis etiam aliquas orientalium auctoritates a nobis accipe, vt etiam istos eadem illis dicentes intelligas, & non solum sententia, verum etiam ipsis verbis eos plerumque esse concordēs.

---

*BESSARIONIS ARCHIEPISCOPI NICÆNI  
oratio dogmatica de vnione, Florentiæ habita  
ad Græcos.*

**S**ACRAM ecclesiarum Dei pacem atque concordiam nemo est, viri præstantissimi, qui non maximi æstimet, & loco summæ felicitatis esse ducat: *Vide Græce & Latine tomo superiori reliqua, sessione 25. Concilii Florentini, pagina 400.*

---

*BESSARIONIS ARCHIEPISCOPI NICÆNI  
declaratio aliquorum vocabulorum, quæ in oratione sua  
dogmatica de vnione ad Græcos Florentiæ habita continen-  
tur, & quæ non in eodem sensu apud Latinos sunt in vsu,  
sicut apud Græcos.*

**N**OTANDVM primo, quod sancti doctores orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ & causati largo modo. *Vide reliqua tomo superiori in fine vigesimæ quintæ sessionis Concilii Florentini pag. 465.*